

302 XXIV. Verb. wid. d. heiml. Schüs. im Stufenbrof.

zu versehen, um die etwa ertappende Thätete handfest machen,  
und dieselbe zu behdrender Bestrafung, nebst dem Geröehr anhero  
liefern zu lassen. Verkündlich hochfürlichen Hand-Zeichens und  
Secrets. Sign. Neubaus den 16. Febr. 1688.

Herman Berner.

(L.S.)

XXV.

303

XXV.

DECRETA

ET

CONSTITUTIONES

SYNODI

DIOECESANAE

PADERBORNENSIS

10<sup>ma</sup> Junii 1688. habitæ.

HERMANNUS WERNERUS Dei & Apostolicæ  
Sedis Gratia Episcopus Paderbornensis, S. R. I. Princeps,  
Comes Pyrmontanus, & Cathedralis Ecclesiæ Hildesien-  
sis Præpositus &c. &c. Universis & singulis Abbatibus, Præ-  
positis, Decanis, Abbatissis, Prioribus, Archidiaconis, Capitulis,  
Conventibus, Cathedralis & Collegiatarum, Regularium & secu-  
larium

larium parochialiumque Ecclesiarum Rectoribus, totique Clero, Clericis, Notariis & Tabellionibus publicis quibuscunque per Civitatem & Dioecesim Nostram Paderbornensem ubilibet constitutis salutem in Domino sempiternam.

Cum hodiernâ die intermissam multis annis Synodum Dioecesanam juxta obligationem Nostram, ad Gloriam omnipotentis Dei, Beatissimæ Virginis Matris Mariæ, nec non Sanctorum Liboriti & Kyliani honorem resumpserimus, speramus fore, ut omnes ex hoc sacro cœtu lumen & Spiritum ad officia nostra debite peragenda reportemus, eum in finem sequentes ordinationes & decreta de Venerabilis Nostræ Capituli assensu ab omnibus impostorum observanda seriò præcipimus.

## P A R S P R I M A.

### TITULUS I.

#### *De Fide Catholica.*

##### I.

Quo ab salutem magis necessaria est Fides Catholica, sine qua impossibile est placere Deo, *Hebr. II.* Eò majore curâ & sollicitudine attendendum universo Gregi nostro, ut ante omnia integrè inviolabiliterque hanc fidem teneat, ab omni alieni dogmatis

vel

vel potius erroris contagione prætervetur, & si quæ oves aberrant, ad ovile Ecclesiæ reducantur.

2. Idcirco Exercitium Acatholicum sive privatum sive publicum, insistendo Prædecessorum nostrorum vestigiis, nullatenus tolerare volumus in hac Nostra Diocesi, mandantes seriò Pastoribus sedulam attentionem & vigilantiam, ut, si qui Prædicantes aut Ministri Acatholici irreperant & vineam Domini demoliri conarentur, contra ejusmodi, ope Magistratûs secularis sibi præsto futurâ utantur, Nobisque quamprimum denuncient.

3. Quamvis Germaniæ status non ferat, ut veteres Canones de vitando hæreticorum commercio observentur, nihilominus Acatholicorum prædicantium conciones audire, aut exercitiis eorundem sectæ interesse prohibemus, cum id vel veram simulationem sapiat, vel inde grave perversionis periculum imminet.

4. Dolendum valdè, quod parentes aliqui propriæ & filiorum salutis immemores, filios suos spe lucri, opificii aut mercaturæ causâ ad loca acatholica mittant, ubi tales subinde sedem figunt, & fidem, pro dolor, deserunt, moneant Parochi seriò ejusmodi Parentes, ne cum periculo animæ & suæ & filiorum temporale commodum querant.

5. Sub poena confiscationis librorum & gravis arbitrarie mulctæ Typographis & Bibliopolis mandamus, ne ullos Libros imprimant

Qq

mant

mant, imprimivè curent, nisi prius à Vicario nostro approbatos, aut in hac Diœcesi libros prohibitos aliunde importatos distrahant.

## TITULUS II.

### *De Professione Fidei.*

#### I.

**N**on satis est ad salutem, interius credere, sed præterea necesse fidem exterius profiteri: corde enim creditur ad iusticiam, ore autem Confessio fit ad salutem; hinc Propheta Regius, credidi propter quod locutus sum.

2. Ad huiusmodi professionem animo omnes prompti esse debemus: actu autem & re ipsa edent, quotquot in Diœcesi Nostra ad dignitates, Canonicatus in Cathedrali & Collegiatis Ecclesiis, ad beneficia curata & quæcunque alia promoventur, superiores Regulares, qui ad Doctoratum, Licentiam ad alios gradus Academicos aspirant, Lectores, Confessarii, Concionatores, Magistratus, Medici, Ludimagistri, Obstetrices, & quicumque catholice Ecclesie reconciliari cupiunt.

3. Ex his provisi de dignitatibus, quarum Confirmatio ad Nos spectat, & de curatis beneficiis coram Nobis aut Vicario nostro Generali aut Archidiacono ubi eisdem Jus Investituræ competit; de aliis dignitatibus & Canonicatibus, beneficiis, Vicariis in Cathedrali

thedrali & Collegiatis in manibus Decani & Capituli ejusdem Ecclesie, Regulares coram suis Superioribus, Ludimagistri autem & Obstetrices ex commissione Archidiaconorum coram Parochis.

4. Facienda autem erit professio in templo, Capitulo aut alio loco decenti super Altari vel Mensa cum Immagine Sanctissimi Crucifixi, Missali vel libro Evangeliorum aperto, cereis duobus accensis & presentibus aliquot testibus; Recipiens professionem sit indutus stola & superpelliceo in sede collocatus, legentem diligenter audiat, aut si legere non possit, distinctè prælegat, & factam professionem notet.

5. Et si professio fidei non semper obliget, nunquam tamen aut veram negare fidem, aut simulare alicuiam licitam, unde meminerint, & moneantur Catholici, dum Aatholicorum terras peragant, præcepta Ecclesie de observantia Jejuniorum non violare.

## TITULUS III.

### *De Prædicatione verbi divini.*

#### I.

**U**t verbi Dei prædicatio, quod est vite spiritualis pabulum, fidei principium, bonorum operum fundamentum, incrementum accipiat, & uberiores in singulos dies penitentiae fructus in fidei populo ferat, statimur;

2. Ut Concionatores gravitatem peccatorum poenarumque inde provenientium describant, virtutis amorem omnibus instillent, præcepta Dei & Ecclesiæ modumque ea servandi proponant.

3. Abstineat Concionator, ostendendæ doctrinæ vel eloquentiæ causa ab inanibus & difficilibus captumque auditorum superantibus, & ad fidei edificationem minus pertinentibus quæstionibus, unde sui ipsius potius, quam Jesu Christi Prædicator esse videatur.

4. Ne auditoribus tedium creetur, Concionator dictione sua mediam horam aut tres quadrantes non excedat.

5. Nemo aniles fabulas, nemo scommata, nemo sales ac Jocos, nemo incertas atque Apocryphas historias, aut suspecta jure miracula pro suggestu recenseat.

6. Cùm per scommata & convitia A catholicorum animi magis exasperentur, ab iis Concionatores abstinere contra verò dogma aliquod Catholicum frequenter solidis argumentis confirmare contrariumque errorem nervosè refutare mandamus.

## TITULUS IV.

### *De Catechesi.*

#### I.

**A** proba puerorum atque adolescentum informatione non privata tantùm familiarum paucarum, sed publica etiam & communis

Rei.

Reipublicæ totius salus, atque Ecclesiæ integritas dependet, quam ob rem necessarium plane est, ut omnes à teneris atque ab adolescentia portent Jugum Domini in pietate & bonis moribus, ac litteris instruantur, ut una cum pietate ac Religione honestas conjuncta ab incunabilis imbibatur. Quocirca Parochi omnes tradendæ Christianæ doctrinæ & explicandi Catechismi studium sibi habeant cordi ac curæ, cogitentque se tanquam bonos optimi Patris familias Ministros multò diligentiorè operam spargendæ in novali Domini agro Catholicæ Religionis sementi impendere velle, quàm inimicus homo in super seminandis Zizaniis (quæ evelli deinde ægerrimè queant) collocet.

2. Singulis itaque diebus Dominicis elementa Religionis catholicæ juxta methodum Catechismi Romani perspicuè explanent pueris Parochi vel per se vel per alios ad functionem hanc idoneos tempore pomeridiano sub horam duodecimam vel primam, idque in Oppidis & Pagis observari jubemus.

3. Atque ut rudis pueritia ad plam hanc exercitationem animetur affluatque copiosius, lingua vernacula per breves & concisas quæstiuaculas suaviter atque humaniter fidei rudimenta, hoc est ea, quæ ad fidem, spem & charitatem, Sacramenta & Officia Justitiæ Christianæ pertinent, continenturque oratione Dominica, salutatione Angelica, præceptis Dei & Ecclesiæ, virtutum studio, vitiatorum fuga, exponant, diligentioribusque munuscula donent.

4. Pastores, Concionatores & Catechistæ invitent & alliciant etiam juvenes ac seniores ad Catechismum audiendum, cum hi sæpè numero magis quàm pueri Catechetica indigeant instructione. Supinam insuper parentum in educandis prolibus fœcordiam sæpè castigent, cum experientia constet, multos mortalium majorem peccoris sui quam prolis sui ipsius rationem habere: unde, quod deplorandum est, complures actu & suasu diaboli ad veneficia & magicas artes seducuntur. Efficaciter proinde Parentibus & Patribus familias tam privatim quàm publicè in Concionibus inculcent, ipsos sub pœna gravis peccati obligari ad rudes suos liberos & domesticos doctrina Christiana imbuendos, illosque identidem intentatis etiam pœnis admoneant, ut liberos suos Juniores & seniores famulos & ancillas ad divina Officia & Catechismum diligenter mitant.

5. Publicent quoque, nullos prorsus ad sacram Eucharistiam percipiendam vel Matrimonium ineundum deinceps admittendos, nisi Romano Catholice fidei principiis satis instructos, sic enim futurum confidimus, ut non solum pueri, sed etiam adulti & senes ad institutum hoc sanctissimum cum uberrimo animarum fructu frequentius convolent.

6. Ne qui vero sint, sive parentum sive liberorum, qui tam salutare opus negligant aut contempnant, visitentur familie singulorum Parochianorum à Pastore cujuscunque loci, & Catalogus confi-

conficiatur puerorum & puellarum famulorumque & ancillarum cujuscunque familie, quo absentes facillè cognosci & puniri possint.

7. Diversitas libellorum doctrinæ Christianæ seu Catechismi magnam in discendo & docendo parit difficultatem, ideoque mandata hæc Synodus, ut Parochi alique omnes ad quos spectat unum & eundem modum in docendo & discendo doctrinam Christianam ubique teneant, tenerique faciant.

8. Durante lectione Catechetica cessabunt omnes lusus mundani, saltus, clamores & occupationes ac potationes, illicitumque erit omnibus Tabernariis ulli quàm itinerantibus tabernam aperire & potum præbere.

## TITULUS. V. De Scholis.

### I.

In Oppidis & Pagis Parochiales schole si collapsæ sint, restituantur, si conservatæ colantur & augeantur, sed præter Parochiales non admittantur multæ, nisi de consensu Episcopi vel Vicarii.

2. Scholis tantùm præficiantur Præceptores probi & examinati, ac qui fidei Catholice secundum præscriptum Concilii Tridentini integram professionem fecerint, in Institutione sequantur antiquam & probatam formam, ac juventutem sibi concreditam omnium primò Orationem Dominicam, salutationem Angelicam.

Sym-

Symbolum fidei, decalogum & formulam Confessionis, si necessent, lingua vernacula edoceant.

3. Ad petulantiam cohibendam in omnibus Parochiis Masculi à puellis, quantum fieri potest, seorsim instituantur, atque puellis una aut altera honesta Matrona præficiantur.

4. Ex bona educatione ac Institutione juventutis pendet præ magna parte salus totius Reipublicæ, quapropter ubicunque scholæ adhuc requiruntur, deliberandum cum Magistratibus & Præfectis locorum, ut eæ mox erigantur, simulque rationem incant, ipsis Ludimagistris de annuis stipendiis providendâ.

5. Pastores tam è suggestu, quàm privatim parentes frequenter admoneant, ut ad scholas pueros suos mittant, & si negligentes reperiantur, ad id per Magistratus & Præfectos locorum sine conniventia compellantur.

6. Scholæ omnes ab iis, quibus id oneris incumbit, aut aliis ad id ab Ordinario deputatis crebro serioque visitentur.

7. Nec ulli omninò libris in iis præligantur, qui turpe aut obscenum quid contineant, quique à Nobis approbati non sint.

8. Insuper hortatur hæc Synodus, ut in Scholis latinis doceatur Cantus Gregorianus.

9. Nec non ut Ludimagistri & Ludimagistræ scholarum, lingue vernaculæ Juventutem suam statis diebus ad lectionem

Catechi-

Catechisticam, diebus vero dominicis & festivis ad Missam Parochialem deducant, eosque ibidem in Officio contineant.

10. Scholæ sint in loco aliquo commodo juxta templum, ut tam Præceptores quàm discipuli frequentissimè à Pastoribus aliisque observari & in Religionis nostræ initiis commodius exerceri possint.

11. Ludimagister & Ludimagistræ constituantur à Pastore, Magistratu & primariis Parochiæ incolis, cum consensu tamen & approbatione Archidiaconorum, sine quorum consensu etiam non destituantur.

12. Habeant autem rationem Ludimagistri, ut tenera ætas in pietate & morum modestia instituantur, ipsique Magistri bonæ vitæ suæ exemplo discipulos ad virtutem provocent, & ab omni tabernarum frequentatione aliisque levitatibus abstineant.

## TITULUS VI.

### De Officio divino.

I.

Cùm in Officio divino negotium Nobis sit cum Deo ipso, qui Rex Regum est & Dominus Dominantium; hinc est, quod quæcunque Sacrosanctum Concilium Tridentinum statuit & ordinavit de Officio divino debitè peragendo, illa omnia hæc Synodus mandet strictè observari.

R r

2.

2. Ante omnia divinum Officium fiat statis horis tractum, integrè, distinctè, devotè & reverenter per eos ad quos spectat, observato tamen discrimine dierum solemnium à ferialibus.

3. Nemo sub Officio divino profanum quidpiam aut ab instituto alienum legat.

4. Deambulationes quoque nec non profana colloquia tempore divini Officii vetita sint.

5. Proclamationes forenses & denunciationes quarumcunque venditionum vel rerum venalium etiam in templo fieri solite deinceps non fiant, nisi extra templum & Officio divino prorsus absoluto: tempore quo divinum officium peragitur, tabernæ non nisi pro viatoribus aperiantur, neque aliquod genus Ludi publicè aut privatim instituantur.

6. Sub cultu divino à fabulis, risibus & aliis insolentis omnino absteaneatur.

7. Parochi summa diligentia curent, ut Officium divinum debito tempore peragatur, ad Concionem diebus Dominicalibus & festivis habendam implorata præviè ope Spiritus Sancti, Lectio- ne librorum & meditatione diligenti sese disponant, ut audiores fructum ex auditione verbi divini reportent.

TI.

## TITULUS VII.

### De Processionibus.

#### I.

Cum Episcopi Dioecesani sit indicere, quando & quâ viâ tam ordinariæ quàm extraordinariæ Processiones institui, dirigi, quasi ad Ecclesias nominatim perduci debeant: Laicis autem quibuscunque etiam jure Civili Processiones publicæ sine Ordinarii Dioecesani licentiâ & consensu imperare sit interdictum. Nos sanctionibus Apostolicis & sacre Congregationis Cardinalium declarationibus inherentes, omnibus & singulis Civitatis & Dioecesis nostræ Abbatibus, Præpositis, Archidiaconis, Pastoribus, Vicepastoribus, & quorumcunque Ordinum & Institutorum Prioribus, Guardianis, Rectoribus, & aliis quovis nomine nuncupatis Ecclesiarum Superioribus, etiam quovis Exemptionis à Dioecesana Jurisdictione privilegio munitis severissimis sub poenis arbitrio nostro etiam tanquam Sedis Apostolicæ Delegati imponendis, prohibemus, ne illorum quisquam ullam prorsus Processionem, supplicationem vel stationem in quacunque Dioecesis nostræ Urbe, Oppido, Pago vel agro extra suæ Ecclesiæ seu Monasterii septa, foris, multò minus peregrinationem cum Processione seu Processionem cum peregrinatione unquam & usquam sine expressa nostra nostrivè Vicarii in Spiritualibus Generalis licentiâ, indicere, instituire, dirigere, deducere seu obire audeat.

Rr 2

2.

2. Omnes tamen prædicti quantumvis Exempti, tam Clerici Sæculares in Civitate vel Diœcesi nostrâ, qui beneficiis seu Officiis Ecclesiasticis gaudent, quàm regulares quicumque ad publicas Processiones ordinarias vel extraordinarias ex quacunque causâ ordinariâ nostra auctoritate indictas vocati accedere debent; & contumaces pœnis arbitrariis, aliisque Juris remediis puniri possunt, iis tamen exceptis, quos Sedes Apostolica excipit.

3. Ceterum constat, quod Processiones per agros & campos parantur, ut populus Deum oret, quatenus segetes ac fruges terræ ab eo conserventur, verùm ut aliâ plurima ita & hic mos hominum: mabitia depravatus est, quod per occasionem talis deambulationis, quæ Deo placando erat instituta, pleraque scelera committantur, quomobrem omnes & singulos Parochos, Viceparochos & Ecclesiarum Superiores serio admonemus ne vel minima ullis Commessionibus, Potationibus, aliisque lasciviis & insolentis licentia relinquatur, & scubi abusus tam altas radices egerunt, ut ager Dominicus non videatur repugnari posse, ad Nos nostrumvè Vicarium recurrant, ut opportunis remediis ejusmodi abusus tollantur.

4. Sanctissimum utique Eucharistiæ Sacramentum piè & utiliter ad populi pietatem interdum in publicis processionibus ac supplicationibus, potissimum verò in Festo sanctissimi Corporis Christi, & per ejus octavam deferatur, sed ne nimia frequentia debi-

tam

tam tanto Sacramento minuat reverentiam, rariùs extra prædicta tempora id fiat; & non nisi in arduis causis de licentia & consensu nostro nostrivè Vicarii in spiritualibus Generalis.

5. Insuper ad Processiones Corporis Christi decorandas juxta exemplum eorum qui ingressum Dominicum in Hierosolimam Urbem ramis & vestibus suis oblatis honorarunt, omnes viæ & plateæ, per quas sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum portabitur, mundentur, arboribus, ramis, frondibus, floribus, herbis odoriferis, gramine sternantur, decenter ornentur Ecclesiæ & parietes viarum tapetibus, auleis & sacris imaginibus, non autem profanis & variis figuris seu indignis ornamentis: & reliqua circa Processiones in Cerimoniali Episcoporum ac Rituali Romano seu Processionali, seu Pastoralis ad usum Romanum accommodato præscripta accuratissimè serventur.

6. In Processionibus Incolæ obligati erunt, vias mundare, ornare, obstacula remove, inobedientes à Magistratu cogendi sunt.

7. Depurentur item primarii aliquot viri, pro portanda Umbella, sub qua Sacerdos cum Sacrosancto Eucharistiæ Sacramento Processionis ritu incedat. Quandoquocunque enim in publicis Processionibus Sacrosancta Eucharistia circumferatur, id nunquam posthac nisi sub Umbella fiat, quam Pastores seu Vicepastores in qualibet Ecclesia expensis fabricæ vel ex fidelium oblationibus quamprimum sibi comparent.

8.



8. Quæ de Processionibus, supplicationibus & stationibus à Nobis decreta sunt, ea tantò religiosius ab Ecclesiasticis personis omnibus sive secularibus, sive regularibus observentur, quantò reliquis Christianæ vitæ sanctioris professione altius eminent, ut in eos, tanquam in speculum, Laici oculos coniciant, ex iisque sumant modestiæ ac pietatis exemplum, quod imitentur.

9. Quamobrem dum Processiones cum sanctissimo Sacramento vel sacris Reliquiis & Imaginibus deportatis habentur, nemo adulatorum, qui hujusmodi Processionibus interfunt, commestioni aut potui vacet, antequam peractâ cum timore Dei piisque precibus Processione, singuli ad domos suas revertantur, ac ne tum quidem commestationibus & Symposiis indulgeant, sed cibum parcè cum gratiarum actione sumant, ne gratiâ divinâ, quam in sacris Processionibus ambiunt homines, spolientur.

10. Curent quoque Magistratum secularem imminente Processionis vel supplicationis die tempestivè premoneri, si qua in re Officium ejus desideretur, vel ad cohibendam, vel coërcendam implorum insolentiam, vel ad impediendum, ne in viâ quâ procedendum erit, esculenta aut poculenta, quasi nundinarum & mercatus tempore, exponantur & vendantur, vel ad removenda quæcunque alia quæ ad excitandam veram pietatem nihil faciunt, sed potius ad vanitates animos relaxant, & à sanctis cogitationibus avocant.

11. Quibuscunque malis moribus, abusibus & corrupteliis

in

in Processionibus, supplicationibus & stationibus exoriri solitis, pro Officii nostri debito mederi cupientes omnibus ac singulis Civitatis ac Diocesis nostræ Pastoribus, Vicepastoribus & verbi Dei præconibus, tam secularibus, quam Regularibus districte præcipimus, ut Dominico die Festum S. Marci ac triduum Rogationum, quo statè processiones majores & minores Litanias decantando juxta pium & laudabilem Ecclesiæ morem servari consueverunt, nec non Festum Corporis Christi, & aliud, quo habenda erit solennis processio, supplicatio seu statio, ipsum processionis, supplicationis seu stationis diem proximè antecedente, causam processionis, supplicationis vel stationis ejusmodi populo discertè exponant, erroresque & abusus in eâ cavendos graviter inculcent, nec non seriò exhortentur Christi fideles, ut omnes ad profitendam fidem suam, ad celebranda Crucis Christi Mysteria, ad honorandum nomen Dei, & ad precandum pro necessitatibus Ecclesiæ Reique publicæ conservatione magnâ pietate animorumque concordia sub vexillo Crucis Christi conveniant, atque nominatim ab abusibus & vitiiis in his nostris decretis & constitutionibus damnatis, à cursu, fabulis, risu, Jocis ac quavis aliâ levitate à Reverentiâ & Religione alienâ sibi temperent, sed potius piis Orationibus, Litaniarum aliarumque precum cantui & recitationi & Mysteriorum, quæ in processionibus, supplicationibus & stationibus peraguntur, meditationi intenti ex profundo intimoque corde divinam implorent misericordiam, ut nemini dantes ullam

ullam offensionem vituperationibus obloquentium non sint obnoxii.

12. Omnibus Pastoribus, Vicepastoribus, Concionatoribus & Catechistis, aliisque Processionum ac supplicationum præfatis & moderatoribus seriò mandamus, ut populum & supplicantium cœtum admoneant, quod licet per eas Ecclesias, in quibus divina decantantur, Processionis aut supplicationis ritu cum silentio modestique sine cantu & strepitu transire, ibique preces fundere possint, si tamen in eisdem Concio, Catechesis vel exhortatio alia habeantur, quoad fieri potest, ab earum ingressu abstineant.

13. Cùm porrò Ecclesiæ Catholicæ decus non solum in Processionibus, supplicationibus & stationibus ritè & rectè ac secundum Ordinem superius à Nobis præscriptum adornatis, verùm, etiam respondentibus his Officiis divinis atque Ecclesiasticis functionibus maximè eluceat, earumque gravi actione populi pietas foveatur augeaturque; ideo quæcunque his contraria, nugas, levitates & abusus siquæ quovis nomine in ullam Civitatis & Diœsis nostræ Ecclesiam irrepsissent abolemus.

## TITULUS VIII.

### De Templis.

#### I.

Cùm Ecclesiæ divino cultui dicatæ domus dicantur Orationis, easque propterea omnis Sanctitas deceat atque reverentiæ, meritò

de

de ipsis quoque tanquam loco earum propria, recta & sancta ordinamus.

2. Notum est, non exiguo ad devotionem incitamento esse, si domus Dei munda conservetur, altariaque pro diversitate temporum ritè exornentur, omnibus itaque seriò præcipimus ut non tam propriæ habitationis quàm templi curam gerant, omni possibili modo ornatum illius querant, ut Parochiani exteriorè munditiæ & ornatu ad puritatem internam majoremque devotionem magis magisque alliciantur.

3. In omnibus Ecclesiis ad minus summum Altare adaptetur; idque sic, ut lapis unus solidus tegat supernè totum Altare, quod si fieri nequeat, ponatur ut minimum lapis bipedalis in quadro, qui medium Altaris supra cum locum, in quo Reliquiæ sanctorum recunduntur, tegat, ponaturque semper Imago Christi Crucifixi in Altaris medio, sitque super illud tabula aliqua sacra piè depicta.

4. Non extruantur plura Altaria quàm commodè adornari possint, nec plura quàm tria in quolibet Parochiali rurali templo sine nostra auctoritate ædificentur.

5. Tametsi propter hostiles incurfus, repentina incendia, aliosque casus inopinatos ad Ecclesias cum rebus suis confugere, non sit illicitum, ut nihilominus Ecclesiæ non solum nomine, sed verè domus Dei & Orationis censeantur, minimè eas suppellectili

S s

pro-

profanâ sic impleri volumus, ut domus potius secularium quàm Dei Basilicæ faciem referant.

6. Non parum irreverentiæ sacris locis ex eo accidere potest, quod quibusdam in locis per totum diem aperta relinquuntur, & hoc pacto non solum furum direptionibus, sed etiam variis profanationum periculis exponantur, quod ne deinceps contingat Pastoribus Ecclesiarum in pagis constitutarum præcipimus, ut extra tempus divini Officii easdem clausas habeant.

7. Sicut non aliis, quàm Deo sacratissimis Sacerdotibus Missas cantare aut Sacrificium in Altari licet immolare, sic nec in aliis quàm divino cultui dicatis locis eadem facere fas est, nisi quis ad hoc speciali Privilegio, aut Apostolico aut nostro munitus fuerit, aut summa necessitas exegerit.

8. Hinc etiam si cuilibet domi suæ liceat habere privatum Orationis causâ oratorium, dummodo in eâ campana publicè exposita non pulsetur, non tamen ad sacrificium Missæ facilitandum, nisi sit ad divinum tantummodo cultum dedicatum & Episcopali nostrâ auctoritate designatum. Aliàs si quis in oratoriis intra privatos parietes constitutis, absque summi Pontificis nostræ consensu celebraret, gravi penâ punietur.

9. Quemadmodum ad offerendum Missæ sacrificium necessario requiritur Altare Lapideum ab Episcopo consecratum, ita nullum Altare consecratum absque legitima causâ & expressâ  
nostra

nostra licentia nec nisi certis precibus ac ceremoniis adhibitis destrui debet, quas hic pro majore cujusvis notitia libuit subjungere.

In Civitate igitur aut Dioecesi nostrâ Paderbornensi obtentâ prius à Nobis facultate, Superior Ecclesiæ in qua Altare aliquod destruendum est, seu alius ad hoc Episcopali nostrâ auctoritate deputatus Sacerdos, superpelliceo & stola indutus, convocatis etiam aliis Sacerdotibus seu viris religiosis paulisper genustexus ante Altare destruendum accensis super columinibus, submissâ voce Orationem Dominicam, ac salutationem Angelicam dicat. Dein à Choro cantetur seu legatur Antiphona vel responserium de Sancto, cujus nomini Altare illud dicatum est. Quo finito Superior seu Sacerdos prædictus adjiciat alta voce versiculum, & Orationem de eodem Sancto, Choro semper respondente. Postea ex omni parte Altare destruendum detegatur, lapis superior sive Mensa consecrata sine læsione amoveatur, eam idem Superior vel Sacerdos manibus suis lavet, abstergat linteo & aquam, quâ lapidem eluit, in sacrarium effundat.

Amoto lapide dictus superior seu Sacerdos diligenter religiosèque perspiciat, num sacræ Reliquiæ sint inclusæ, quas inventas præmissis thuris incensi suffitu, debitâ cum reverentia extrahet, & certo honestoque loculo seu arcæ includet, quam sigillo

gillo munit, reliquis omnibus, quæ sequentibus Paragraphis præscribuntur, ritè servatis, nempe adhibitis luminibus Altaris reconditorium seu sepulchrum, quo sacræ Reliquiæ conditæ sunt, aperiantur, & si quis locus seu Capsula cum sacris Reliquiis in eo reperiat, ipse Superior seu Sacerdos stans imponat & benedicat thus acerræ seu thuribulo, quo è Ministris manibus accepto thurificet triplici ductu reliquias inclusas, quibus expletis præcinat choro seu Ministris prosequentibus responsorium, surgite sancti Dei de mansionibus vestris, loca sanctificate, plebem benedicite ✠ & nos homines peccatores in pace custodite *Vers.* Ambulate sancti Dei ad locum prædestinatum qui vobis paratus est. Et nos &c.

Postea tam obsignatæ arcæ sigillum quàm ipsæ sacræ Reliquiæ cum scedulis ac scriptis ibidem inventis diligentissimè discutiantur & recognoscantur, ipsaque arcula seu theca Sigillo ejusdem Superioris vel Sacerdotis deputati obsignetur, addito eidem arcule etiam Vice superioris seu Sacerdotis manu scripto testimonio & duorum testium virorum Ecclesiasticorum, quod istæ Reliquiæ N. Ss. N. die, N. Mense N. Anno in Altari N. nostræ licentiâ destructo, fuerint inventæ, ac deinceps pro veris Reliquiis haberi & alteri Altari proximè consecrando possint inferi.

Ad hæc Superior, seu Sacerdos prædictus præcedentibus luminibus, supplicationis ritu, sacras Reliquias ad sacrarium vel visitarium, seu alium decentem ac tutum locum deportet, præ-

cinatque choro seu Ministris prosequentibus Antiphonam exultabunt Sancti in gloriâ lætabuntur in cubilibus suis, *Psal.* 149. Cantate Domino canticum novum, Laus ejus &c. *Psal.* 150. Laudate Dominum in sanctis ejus &c. Et non dicitur gloria Patri &c. Sed Antiphona repetitur.

Cumque pervenerit ad ipsum Sacrarium seu locum præstitutum, deponat eas cum reverentia super Mensam aliquam seu tabulam honestè ibidem paratam, luminibus juxta illas ardentibus collocatis & Superior sive Sacerdos, stans versus sacras Reliquias dicat versum lætamini in Domino & exultate Justi *Resp.* & gloriâmini omnes recti corde. *Oremus.* Lætetur Ecclesia tua Deus omnium & horum Sanctorum tuorum confisa suffragiis atque eorum precibus gloriosis, & devota permaneat, & securâ consistat, per Christum Dominum nostrum *Resp.* Amen.

Interea temporis ad operariis reliqua pars Altaris amoveatur. Verum cum res Deo semel consecrata oleoque sancto & ritu sacro delibata in profanum usum, & opera transferri nequeat, idcirco severè prohibemus, ne lapides, coemta aliaque cujusvis consecrati Altaris destructi fragmenta in profana ædificia seu privatos hominum usus convertantur, sed illa omnia vel alteri Altari sive Ecclesiæ applicanda vel in loco sacro, ad id apto, nempe in angulo quodam arcæ templi, vel etiam extra templum in

Cœmeterio tantisper afferventur, donec certius quid per nos de illis faciendum decernatur. Si plura Altaria sint destruenda idem ritè fiat ad singula.

Quod si Ecclesia aliqua seu Capella destruenda sit, præhabita quoque prius à nobis licentiâ, si quæ sacræ Reliquiæ corporavè Sanctorum in ea recondita sint, aliquot antè ipsius destructionem diebus diligenter recognita ad aliam Ecclesiam à nobis constitutam præscripto ritu transferantur, convocato etiam ad hujusmodi translationem (si corpora sint seu insignes reliquiæ) Clero vicino & populo. Sacræ item Imagines eodem transferantur, ac dein Ecclesiæ seu Capellæ Altaria adhibitis accuratissimè omnibus precibus ritibus & Cœrimonis quæ antecedentibus Paragraphis præscribuntur, amoveantur. In loco autem destructæ Ecclesiæ Crux ad memoriam erigenda est.

10. Nemini porò liberum est, in locis Episcopali nostræ ordinariæ Jurisdictioni subjectis, absque consensu nostro nostrivè Vicarii in Pontificalibus generalis (si quis pro tempore existat) Ecclesiam novam construere, qui in loco ædificandæ Ecclesiæ per se vel per alium crucem figat, atrium publicè designet, lapidemque primarium juxta Pontificalia seu ritualis Romani normam ponat, & ab eo, qui Ecclesiam extruere intendit, prius constitutâ dote pro luminaribus & Ministris Ecclesiæ atque oneribus aliis persolvendis exigat & assignari curet: TI-

## TITULUS IX.

*De Altaribus.*

## I.

Altarium mobilium usus aliquantulum ad populi commoditatem permixtus est; sed ne quod ad tempus ex causa nunc per Dei Clementiam cessante contra Canonicas sanctiones indulgum est, violatâ sacrificii reverentiâ in corruptelam degeneret, precipimus omnibus quibus interest, ut sicubi Altaria sint violata vel profanata, ea quamprimum fieri poterit, instaurentur, & Sacris usibus Pontificali consecratione restituantur Altarium mobilium usu penitus interdicto. Noverint quoque Sacerdotes omnes, si quibus ex urgenti aliquâ necessitate vel bellorum calamitate Altarium portatilius usus deinceps à nobis nostrivè in Spiritualibus Vicario Generali erit permittendus, ea debere esse tantæ magnitudinis, ut hostiam & calicem commodè contineant, cum sacri Canones statuunt Sacramentum Corporis & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi non nisi in Altari lapideo debere confici; Hinc si quæ ejus magnitudinis non sint, eorum usum penitus prohibemus, attendant verò singuli Sacerdotes quibus in Altaribus consecrent, ne dum si putant in lapideis facere, in appositis lapidi Altari afferibus sacrificent, ideo remotâ mappâ lapidem inspiciant,

spiciant; ut noriat, quo loco calix & patena sit collocanda.

2. Observandum diligenter sacræ rituum congregationis infer-  
tum Romano Missali decretum, paramenta non debent sumi de  
Altari pro celebratione Missarum, cum id competat tantum Epis-  
copis, sive solemniter, sive privatim celebrent. Inferioribus  
vero habentibus usum Pontificalium, non nisi quando in Pontifi-  
calibus celebrant. Quamobrem volumus omnino & severissime  
injungimus, ut in singulis Ecclesiis Collegiatis, Parochialibus &  
aliis quibuscunque (ut primum fieri poterit) Sacrificia communis,  
sicubi nondum est erecta, constituatur: sin eam angustia loci  
non patiantur, in eadem Ecclesia locus alius ab Altari remotus  
huic usui accommodetur, in quo Sacerdotes omnes sacrificaturi  
ac Diaconus & Subdiaconus in Missa ministraturi sacris se vesti-  
bus induant & inde procedant ad Altare. Anleis, floribus,  
aliisque piis & honestis ornamentis, ac frondibus templi parietes,  
cum ferie solemniores postulaverint, exornentur, & cetera quæ  
ad cultum & ornatum domus Dei, populi pietatem & Religio-  
nem excitantam faciunt ab Ecclesiarum Custodibus sedulo procu-  
rentur. Interim severissime vetamus nequis illis ornandis pe-  
ristromata, quæ vanas & turpes historias exhibent, Imagines  
obscenas, quæ intuentium animis lascivas cognitiones ingerunt &  
à loci sanctitate abhorrent, ullo modo adhibeat.

T I.

## TITULUS. X.

*De Reliquiis sanctorum.*

I.

**R**eliquiæ sanctorum in vasis honestis seu Capsulis obseratis, lo-  
coque honesto (non tamen in Tabernaculo Ss. Sacramenti) asser-  
ventur, nec ex iis per alium quam ordinarium loci, ab eodem  
ad id potestatem in scriptis habentem unquam educantur.

2. Et si antiquæ sanctorum Reliquiæ haberi debent in vene-  
ratione, in quâ hæcenus habitæ fuerunt; novæ tamen publicæ  
venerationi non exponantur, nisi prius à nobis juxta præscrip-  
tum sacri Concilii Tridentini recognitæ & approbatæ fuerint.

3. Inter novas Reliquias computandæ seu jure ipsarum cen-  
sendæ sunt, quæ antiquorum quidem Sanctorum esse dicuntur,  
at jam recens ad Ecclesias, in quibus modò sunt, delatæ fuerunt.

4. Porro cum non solum in propria personâ suâ sancti sint  
honorandi, sed & in cadaveribus aliisque exuviis suis (etenim  
sacra illa membra atque ossa viva quondam fuerunt Spiritus  
sancti domicilia ac Tempa ad quorum vel aractum, vel intui-  
tum, vel cultum maxima Deus edidit prodigia (quod utriusque  
testamenti Exemplis perspicuum est) plane convenit ut à fideli-

T;

bus

bus Christi populis honestè condantur, pretiosisque loculis religiosè conserventur, ad illorum honorem & gloriam Dei, cujus sancti nimis honorificari sunt.

5. Unde Concionatores, Parochi ceterique quotque docendi munus curamque sustinent, diligentius instruant populum de Sanctorum intercessione, unilique & saluari invocatione atque Religioso sacrarum Reliquiarum cultu: fuerunt enim instrumenta sanctarum animarum ad omne opus bonum & iterum cum ipsis conjuncta participabunt æternam beatitudinem.

6. Nomine autem reliquiarum intelligitur quidquid ex Sanctorum hac vitâ decedentium corporibus reliquum mansit, sive sint ipsa eorum corpora seu cadavera corporumque quelibet partes, carnes, ossa, dentes, capilli, ungues, cineres, ac pulveres, in quæ conversi fuerunt, item vestes & varia utensilia, quibus usi fuerunt, dum in terris versarentur: Vela item panni & similia quæ ipsos in vitâ suâ attigerunt, vel eorum demortuorum ossibus seu corporibus admota fuerunt, ex quibus tamen illæ Reliquiæ tantò præstantiores censendæ sunt quantò propinquius ad sanctum spectabant: ideoque caro & ossa integra Sanctorum in æstimatione Reliquiarum præferuntur aliis rebus, quæ ad eorum corpora tantùm admotæ fuerunt, pulveribus item seu cineribus in quos conversio ac magna mutatio facta est.

7. Reliquias inidem Sanctorum diligenter in Ecclesiis adserendas esse profitentur omnes Catholici, cum nullum Altare erigi possit, in quo non aliquid earum alicujus sancti conservetur. Quare Prælati, Rectores alique Superiores Ecclesiarum præter externum illum decorem domus Dei & ornatum, quo templa sacella & oratoria debent esse conspicua, diligentissimè curent, ut sanctorum Martyrum, & aliorum cum Christo viventium sancta corpora, quæ viva fuerunt membra Christi & templum Spiritus sancti ab ipso ad æternam vitam suscitanda ac glorificanda seu pretiosæ sanctorum corporum partes & Reliquiæ quantumvis minutæ & lipiana, ac omnibus sordibus ac pulveribus munda in vasis honestis seu capsulis observatis, ne facillè ex thecis suis extrahi queant, atque juxta Pontificalis præscriptum ritè prius benedictis, locoque decenti piè diligenterque asserventur, ne item sacrilegiis aut furto expositæ sint, nevé vilescant, ac sine cultu jaceant, vel nimis irreligiosè ab aliquibus tractentur.

8. Insuper ut majori in veneratione habeantur apud fidelem populum sanctorum Reliquiæ, volumus, ut singularum inscriptiones, quatenus opus renoventur & Catalogus earundem, sive ex nominatæ sint sive non nominatæ, intra duorum mensuum spatium post notitiam hujus decreti habitam conficiatur, item ut appendantur Tabellæ in singulis Ecclesiis seu Capellis quibus declarentur, quæ & quales in unaquaque Reliquiæ Judicio Epis-

copi ordinarii Dioecesani approbatae conferrentur. Quod si plane certum sit esse alicujus sancti Reliquias, licet incertum cujusnam in particulari, quia scedula amissa est, possunt ex tam publicè quàm privati coli, sicut ex praxi Ecclesiarum constat.

9. Ad majorem verò Dei & Sanctorum cum eoregnantium gloriam, nec non populi pietatem accendendam, in festis Sanctorum quorum reliquiae elevatae, ornatae & decenter inclusae sunt, easdem in Altaribus aut aliis aptis locis exponi mandamus, sed eas populo passim ostendi ac temerè omnium oculis exponi nequaquam convenit, & quidem extra capias seu locales nulla ratione ad servandam majorem earum reverentiam, si tamen uti paulò ante dictum est, vel ob magnam certorum festorum celebritatem, vel ad populi devotionem excitandam, vel ad Deum per intercessionem Sanctorum suorum & representationem sacrorum pignorum placandum, Reliquiae hujusmodi aut praeter consuetudinem, aut pro more ostendendae videantur, jubemus ut non à Laicis etiam cujusvis ordinis & dignitatis personis, sed à Clericis sacris ordinibus initiatis superpelliceo ac desuper pluviiali vel minimam stola pro Reliquiarum Ecclesiae ratione indutis, solemnè cum apparatu accenso lumine ac sine quaestu omni exhibeantur, & in ostendis iis ea gravitas, reverentia & pietas adhibeatur, quae fidem & Religionem Christianam pra se ferat, & insipientium animos ad omnem pietatem & reverentiam commo-

veat:

veat; ostendantur verò Reliquiae sinceræ, & non falsæ pro veris, non incertæ & dubiæ pro certis ac probatis, non incognitæ pro cognitis, sine superstitione, omni fraude & abusu. Quocirca opus erit singulis scedam aliquam è qua dignoscantur apponere.

10. Insignes autem sanctorum Reliquias sacra rituum Congregatio declaravit esse, caput, brachium, crus, aut illam partem corporis in qua passus est Martyr modò sit integra, & non parva & legitime ab Episcopis locorum ordinariis approbata.

11. In dilargiendis sacris Reliquiis hæc ratio deinceps observetur, ut nemini donentur unquam, nisi ut loco sacro reponantur majori aut non minori, saltem pietatis studio & provectione ibidem servandæ quàm ubi antea servabantur, notabiles verò reliquiarum partes ne ullus Prælatus, Rector Ecclesiae aliisque Superior extrahere, multò minus ex Civitate vel Dioecesi nostrâ Paderbornensi exportare, aut dare transferendas alicui præsumat sine speciali summi Pontificis seu nostrâ licentiâ scripto obtenta, gravissimè interdiximus, & ne tum quidem sine superiorum Ecclesiarum, ex quibus sacrae hujusmodi Reliquiae sint extrahendae, consensu, quibus id permissis donationis hujus authenticæ unâ cum Reliquiis donentur literæ & in Indice Reliquiarum Ecclesiae seu ejus protocollo eadem donatio cum sufficienti Reliquiae



quiarum donatarum nec non personæ dantis & accipientis ac temporis expressione annotetur.

12. Furtim autem sacras Reliquias subtrahere incio seu invito Prælate, seu Ecclesiæ Superiore, iisque qui Reliquiarum justam administrationem habent, haud dubiè est furtum sacrilegum cum sit ablatio rei sacræ.

## TITULUS XI.

### *De Imaginibus sanctorum.*

#### I.

Cum domum Dei deceat Sanctitudo, pro executione Decreti Concil. Trid. de Invocatione & veneratione, ac Reliquiis sanctorum, & sacris Imaginibus, *Seff. 25.* Statuit sancta Synodus, ut è templis & locis Sacris tollantur Imagines, sculpturæ, aulæ, quæ gentilitatem aut mendaces Ethnicorum fabulas representant. Similiter quæcunque figuræ lascivæ, procacis, obscenæ & superstitiosæ, quæ fidelium mentes à Religione & devotione distrahant, & sæpius graviter offendunt, neque posthac ulla crux, Imago aut statua in Ecclesiam, vel locum Sacrum recipiatur, nisi à nobis aut Vicario nostro in Spiritualibus Generali admissa fuerit. Proinde in vîsitationibus curabimus Imagines supradictas reformari aut prorsus tolli, prout judicaverimus expedire.

#### 2.

2. Præterea ne ad ornatum Supplicationum venerabilis Sacramenti aut Reliquiarum quarumcunque exponat quisquam ulla similes Imagines, sculpturas aut aulæ, idque sub pœna arbitrio nostro infligenda.

3. E dominibus & hortis Ecclesiasticorum similiter tales Imagines tollantur, quæ pias mentes offendunt sub pœna arbitraria.

4. Imagines sacræ, ad vanitatem composiæ, nec in templis, nec in Processionibus tolerantur, & quæ ad ornatum supplicationum proponuntur, ejusmodi sint, quæ oculos spectantium non offendant.

5. Doceatur subinde rudis populus, Imaginibus Christi & sanctorum, cultum & honorem non exhiberi propter ipsam materiam, elegantiam, externum ornatum, vel aliud quidquid simile: sed tantum propter eos, quos nobis representant.

6. Si quæ sacræ tabulæ Imaginesve, nimis vetustate, carie, situ aut fordibus penè deletæ tam indecenti aspectu sint, ut contemptum potius quàm venerationem excitent, eæ piè religiosèque restaurentur ab iis quorum interest: aut si id fieri nequeat, omnino deleantur, aut extra populis conspectum ponantur.

7. Sanctarum Imaginum usus & cultus sicut vetustissimus est, Ecclesiæ nascendæ consuetudine introductus, œcumenico-

rum conciliorum decisionibus firmatus, & sanctorum Patrum confessione stabilitus, aptissimus etiam ad rudes & imperitos fidei mysteriis imbuendos, ad sanctorum virtutes recolendas & ad imitationem proponendas, ita nobis ex Officio diligenter est ad vigilandum ne pravis consuetudinibus & abusibus, violetur & depraveretur eorum forma & habitus. Ut igitur omnis secularis vanitas, levitas, vel iniustata quolibet forma Imaginum aut statuarum ornatus à Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ Romanæ moribus alienus deinceps caveatur, volumus omnino, & districtè jubemus, ut exactè ea quæ tum sacrosancta & œcumenica Synodus Tridentina de sacris imaginibus, tum *sel. record. URBANUS* Papa VIII. peculiari hac super re editâ constitutione, gravibus in transgressores poenis constitutis sancivit, observentur.

8. In exponendis sanctorum Imaginibus studiosè diligenterque curandum est, ut prototypis, quæ per illas representantur, juxta veritatem historię ac rêceptam & probatam Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ traditionem, quoad fieri potest, simillimæ sint.

9. In pavimento sanctorum Imagines vel Cruces deinceps non pingantur, nec ubi clavibus transigi poterunt, vel fuligine pluviaque deleri, vel deformari. Et licet in muro ex vivo politoque lapide constructo sacræ possint historię, nisi quid aliud obset, exprimi, non tamen in muro vel pariete, qui argillâ vel

calce

calce incrustatus est, nam ejusmodi incrustatio perfacile decidit & pictas deformat Imagines. Suademus autem, ut paries aut murus hujusmodi telâ lineâ tabulisve politis artificiosaque compactis tegatur, & sic picturis exornetur.

## TITULUS XII

*De Festiv.*

## I.

**F**estos dies vel Dei ipsiusmet jussu, vel auctoritate Ecclesiæ, aut legitimi Magistratus institutos religiosè celebrandos esse exemplo nos suo optimus Magister noster Enconia celebrans docuit. In nova etiam lege dies Christo salvatori, ejusque Mauri & Angelis, nec non aliis sanctis dicati solemniter rite observandi sunt. Obeant itaque omnes, & fervent festos dies, quos vel universus Christianus orbis vel Diœcesis nostra ex antiquâ consuetudine, vel pia Prædecessorum nostrorum constitutione ad celebrandas Dei, & sanctorum laudes sacros habet. De quibus ut constet omnibus eorum numerum hic subjungere placuit.

I. Sunt autem ista præter dies Dominicos:

Festum Nativitatis CHRISTI.

S. Stephani Protomartyris.

S. Joannis Apostoli & Evangelistæ.

Uu

Ss.

Ss. Innocentium.  
 S. Sylvestri *Papæ*.  
 Circumcisionis Domini.  
 Epiphania.  
 Purificationis Beatæ Mariæ Virginis.  
 S. Agathæ.  
 S. Matthiæ *Apostoli*.  
 S. Josephi *Nutritii Salvatoris*.  
 Annuntiationis B. Mariæ Virginis.  
 Festum Paschæ *cum feria 2 & 3 sequentibus*.  
 Ss. Philippi & Jacobi *Apostolorum*.  
 Inventionis S. Crucis.  
 Festum Ascensionis Domini.  
 Festum Pentecostes *cum feria 2 & 3 sequentibus*.  
 Trinitatis.  
 Corporis Christi.  
 S. Joannis *Baptistæ*.  
 Ss. Petri & Pauli.  
 S. Liborii *Episcopi & Patroni Diœcesis*.  
 S. Jacobi *Apostoli*.  
 S. Annæ *Matris Beatissimæ Virginis Mariæ*.  
 S. Laurentii *Martyris*.  
 Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis.

S.

S. Bartholomæi.  
 Nativitatis Beatæ Mariæ.  
 S. Matthiæ *Apostoli*.  
 S. Michaëlis *Archangeli*.  
 Ss. Simonis & Judæ *Apostolorum*.  
 Omnium Sanctorum.  
 S. Andreæ *Apostoli*.  
 Dedicacionis Ecclesiæ.  
 Et Patroni cujusvis Parochiæ.

2. In prædictis Festis, nec non aliis Patronorum Parochialium Ecclesiarum principalibus Synodus interdicit, omnibus suæ Diœcesis Christi fidelibus opera manualia & secularia quæcunque, mercatum item & forum rerum venalium atque judicialia exerceri. Si quis autem huic ordinationi contraverit, multabitur penâ pecuniariâ.

3. Si forum aut nundinæ incidant in Festum aut Dominicam, illæ ferventur immediatè post Festum aut Dominicam.

4. Et vetat Synodus omnibus Magistratibus & secularibus Judicibus, ne cuiquam ex omnibus prædictis festis violandi seu profanandi licentiam concedant, sed eos, qui ab ipsis licentiam hujusmodi requirunt, ad nos vel Vicarium nostrum aut Pastorem in gravi necessitate remittant, alioqui contra eos tanquam Syno-

Uu 2

dallum.

dalium sanctorum transgressores & alijs proit de jure, procedatur.

5. Quoniam S. Liborius Episcopus Patronus est Ecclesie nostrae Cathedralis, & totius Dioecesis Paderbornensis, ideoque per totam Dioecesim merito venerandus, ordinat Synodus, ut 23. Julii, quo ex hac vita ad immortalem migravit, per Civitatem & totam Dioecesim nostram, ut haecenus factum, in foro & in Choro tanquam duplex in omnibus Ecclesijs & Monasterijs, similiter etiam festum Patroni singularum Ecclesiarum, tanquam duplex celebretur.

6. Meminerint exempti omnes etiam Regulares Decreti Concilii Trid. quo dies Festos, quos in Dioecesi sua servandos Episcopus praecipit, ipsi quoque servare jubentur.

7. Pastores singulis diebus Dominicis sub concione dies Festos & jejunia, ea septimanam occurrentia populo denunciare non omitant.

8. Diebus Dominicis aut festivis tempore concionis, summi sacri vel vesperarum in tabernis positantes, aut publicis lustris vel tripudijs vacantes denuncientur, pro qualitate personarum, vel modo scandali puniendi.

9. Maximam in servandis Dominicis & Festis diebus negligentiam, ut populus corrigat, concionatores saepe moneant, explicantes ad quae istis diebus agenda omittendaque obligentur, gravissimamque transgressionis exponentes.

10. Ac ad dies Festos, qui praecipiti sunt praeter Dominicum diem, pari veneratione, cultu & Religione celebrandos, iisdemque Festis ad sacrosanctum Missae officium audiendum sub periculo peccati mortalis omnes Christi fideles obligari, nec licere ante finem discedere, frequenter inculcent.

11. Quin & alias ex constitutione B. PII V. Pontificis poenas in festorum violatores constitutas populo graviter inculcent; quo sine eam hic liber suis verbis adscribere. Cum dierum (inquit) Festorum observatio ad Dei cultum maxime pertineat; & in lege divina praecipitur, cupientes abusus praves, qui ex eorum inobservantia invaluerunt, omnino corrigere, & antiquorum Canonum statuta renovantes mandamus, ut omnes dies Domini, & praecipue in honorem Dei, Beatae Mariae Virginis, sanctorum Apostolorum feriat cum omni veneratione observentur, & omnes in diebus praefatis Ecclesias frequentent, divinis Officijs devotè intendant, ab omni illicito & servili opere abstineant, mercatus non faciant, profanae negotiationes & Judiciorum strepitus conquiescant. Qui vero in diebus Praefatis opus aliquod illicitum fecisse deprehensus fuerit, praeter divinam ultionem, graves poenas incurret arbitrio nostro, seu Vicarii nostri, aut Archidiaconorum infligendas.

12. Ut improbae hominum cupiditati modum ponamus, se-

riò prohibemus, ne imposterum ullis in locis Spirituali nostræ Jurisdictioni subjectis diebus Dominicis, aut aliis fori festiuitatibus mercatus (nisi forte rerum ad quotidianum victum necessarium) instituantur, aut ne subditi nostri ulli operi seruili, quod sinè evidenti periculo differri potest, manum admoveant. Caveant igitur pannos laneos vel lineos lavare vel dealbare, tingere oves, porcos vel boves mactare aut salire: frumenta aut ligna equis & curribus vehere, merces etiam suas dictis diebus Dominicis vel festiuis ante fores, vel in fenestris domorum, vel alibi venales exponere. Transgressores autem hujus nostræ inhibitionis Pastores, animarum Curatores pro ratione delicti gravissimè puniendos denuncient.

13. Mandamus quoque locorum Magistratibus, ut à strepitu judiciorum imprimis ipsi abstineant, neminem tunc citent, vel citatum audiant, & sub pœnis arbitrio ipsorum imponendis prohibeant, nec usquam Dominicis, aut festiuis diebus Circulatores, Histiones, Comœdos, exhibere Comœdias, spectacula ludicra ac tripudia publica, quibus populus Christianus astu & suasu demônis à festis Religiose colendis, templorum visitatione, vesperarum Officio, audiendâ concione & doctrinâ Christianâ avocatur, adeoque Christo suus honos intercidit, ullo modo patiantur.

14. Parochi verò ac divini verbi Præcones, opifices, agricolæ & quoscunque alios operarios diligenter moneant, & sæpiùs incul-

inculcent per annum, ne deinceps ex perveris quorundam consuetudine audeant Dominicis, vel festiuis diebus etiam verno, vel autumnali tempore agros colere, seminare, aut Messis tempore fruges colligere &c. nisi de speciali licentiâ nostrâ, vel nostri in Spiritualibus Vicarii Generalis, exceptâ gravi & urgente necessitate.

15. Proinde ut populus Dei à commestationibus, potationibus, otio, rebus vanis & noxiis ad salutis æternæ congrua negotia revocetur, & ad preces, præsentissima pietatis ac spei celestis fomenta, crebriùs excitetur, easque frequentet, hortamur in Domino Pastores omnes, & obsecramus, ut singulis Dominicis, & festis diebus cultum Dei in Templis potissimum à prandio inflaurent, & vesperas suo cum custode & scholaribus juxta ritum & normam Breviarii Romani decantare studeant.

16. Festum S. Marci, si in diem Paschæ vel ejus hebdomadam aut Dominicam in albis inciderit, à Clero in choro primâ feriâ post dictam Dominicam, Officio novem lectionum non impeditâ celebretur sinè Processione, jejunio & abstinentiâ à carnibus, Litaniarum processio & statio fervetur ipso die, quo occurrit, uti moris est: Si verò in aliam quamlibet Dominicam inciderit, tam festum, quàm Litaniarum processio eadem ipsâ die Dominicâ à Clero seculari, & populo sinè abstinentia instituantur.

## TITULUS XIII.

*De Jejunio.*

Jejunia animabus corporibusque curandis ab Ecclesia certis temporibus & diebus salubriter instituta decenter volumus observari, admonerique populum, cur sint indicta, nempe in expiationem & vindicationem peccatorum, & ut corpus ob intemperantiam cibi potusque luxuriosum castigetur, & in servitutem redigatur, quo animus vegetior ac liberior divinæ voluntati sese subjiciat.

I. Porro annua Jejunia quæ in Diocesi nostrâ observari volumus, hæc sunt, & quidem vigiliæ singulis annis per totam Diocesim nostram ab universis ætatem habentibus nec legitimè excusatis jejunandæ. Sunt autem præter Quadragesimam, & quatuor anni tempora, Vigilia Pentecostes, Nativitatis S. Joannis Baptistæ, Beatorum Petri & Pauli Apostolorum, S. Laurentii Martyris, Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis, S. Bartholomæi Apostoli, S. Mathæi Apostoli, S. Simonis & Judæ, omnium Sanctorum, S. Andræ Apostoli, S. Thomæ Apostoli & Nativitatis Domini; Quæ si in diebus Dominicis, aut lunæ evenerint, Sabbathis præcedentibus jejunentur. Quibus diebus à carnibus omnes abstinere, & unicâ refectioe sub reatu peccati mortalis omnes contenti esse, nisi gravis labor, aut alia justa ab Ecclesia approbata causa excuset, obligantur.

2. In locis autem, ubi vel plura, vel strictius observata fuerint, hortatur Synodus, ut piam consuetudinem observent.

3. Insuper in Festo S. Marci, quo supplicationes pro laudabili Ecclesiæ more fiunt, & in diebus Rogationum abstinetur per totam diem à carnibus.

4. Jejunia quæ vel indixit Ecclesia, vel usus communis prædem recepit, ab omnibus servari volumus, quorum rationem & modum diligenter explicabunt Parochi & reliqui verbi Dei Ministri.

5. Ceterùm hortentur fideles Parochi, ut cùm jejunant, non solum corpus à cibis delicatioribus, verùm etiam mentem à capitalibus vitiis cohibeant.

## TITULUS XIV.

*De Superstitione.*

## I.

Cùm rectè monéat Sacrosancta Tridentina Synodus, ut omnis superstitio tollatur, docet hæc Synodus, omnem illum rerum usum esse superstitiosum, qui sine verbo Dei & Ecclesiæ doctrinâ sit, præscriptis aliquibus ritibus & observantiis, quarum rationabilis causa reddi non potest, & fiducia in eis collocatur, certò expectandi aliquem eventum, qui sine illis ritibus ex Sanctorum intercessio-

ne non speraretur, aut quæ in cultu Sanctorum ex temeritate ac quadam levitate potius, quam pietate & vera in Deum Religione fieri videntur.

2. Nemo ad morbos vel vulnera hominum aut brutorum curanda superstitionis remediis utatur, vel super rebus deperditis aut super futuris eventibus ac quibusvis secretis divinos seu pro divinis se venditantes consulere presumat. Si quis aliquid horum fecerit & monitus non abstinerit, mox pro seriâ correctione denunciatur.

3. Insuper hæc Synodus mandat omnibus Judicibus Ecclesiasticis, ut in exilium mittant vel mitti curent omnes, qui super futuris eventibus aliisque secretis responsa dant, eosque qui tales consulunt, graviter puniant.

4. Et quoniam rudis populus sæpè ex ignorantia superstitionibus inquinatur, Parochi subditos suos diligenter de illis erudiant, & inter cætera superstitionum esse, expectare quemcumque effectum à quacunque re, quem res illa nec ex sua natura, neque ex institutione divinâ, nec ex ordinatione vel approbatione Ecclesiæ producere potest.

5. Grave peccatum Deo valde injuriosum, & Reipublicæ imprimis noxium est superstitio, ad quam reprimendam serventur ea quæ Sixtus V. in Bulla Cœli & Terræ statuit.

TI-

## TITULUS XV.

*De Exorcismis.*

I.

**L**icentiam exorcizandi à Nobis adeptus purâ & mundâ conscientia magnâque humilitate ac fide ad id muneris obeundum accedat, in ejusdemque functione graviter, piè ac religiosè se gerat, nec verba Ritualis Romani nostræve agendæ excedat.

2. Mulieri Energumene Exorcismum adhibiturus id præstet duabus saltem personis probatæ vitæ præsentibus, iisque si fieri possit, Energumene consanguineis aut affinibus.

3. Quanquam Exorcismorum usus ex divina Institutione, Apostolica Traditione & univèrsali Ecclesiæ consuetudine & præscripto, pro expellendis ex humano corpore dæmonibus, ædibus illorum infestatione liberandis, pro variis damnis ac malis, quæ per tempestates, bestias noxias, venena vel quavis aliâ ratione inferri solent, avertendis, utilis omninò sit & salutaris, eorundem nihilominus abusus tot ac tanta peperit incommoda, ut non levis cautela adhibenda sit.

4. Quare nullus omnino in Civitate ac Diocesi nostra Paderbornensî posthac presumat exorcizare, vel judicare, an aliquis sit, vel non sit obsessus, sinè nostra nostrive Vicarii in Spiritualibus

Xx 2

bus

bus Generalis facultate per presentes seu alias scripto obtenta.

5. Ne verò nostra hæc inhibitió indigentibus incommoda sit, presentium tenore permitimus Pastoribus ad curam animarum, & Pastoralia Sacramenta administranda nostrâ Episcopali auctoritate ordinariâ approbatis, ut in omnibus locis sui districtus Exorcismos adhibere queant.

6. Licentiam porro Exorcismi utendi à nobis, vel ante dicto nostro Vicario adeptus, & deinceps adepturus, licet operetur in persona Ecclesiæ, & eatenus ejus preces sint Deo gratæ & exaudiantur, sit nihilominus purâ & mundâ cumprimis conscientiâ, profundâ humilitate ac ferventi in Deum fide, & fiduciâ in divina tutela & ope, orationi & Jejunio aliisque sub iisdem comprehensis piis operibus deditus, quibus homo contra maleficia & demonis machinationes maximè præmunitur, ad id muneris obeundum accedat, in ejusdemque functione graviter, piè, ac religiosè se gerat, nec aliis quàm in Rituali Romano Diocæsi hinc nostræ accommodato præscriptis utatur Exorcismis, precibus & ceremoniis, quantumcunque piæ & bonæ appareant, sine nostra nostrivè Vicarii supradicti permissione.

7. Non temerè credat Exorcista aliquem esse obsessum, intoxicatum, aut locum infestum, aut Spiritum vagari, cum cecitas & credulitas hominum millies in ejusmodi vel errarit, vel

malitia

malitia fraudem texuerit, uti frequens docet etiamnum experientia. Proinde neque facile adhibeat Exorcismos, nisi signis prudenti medicorum, suo, aliorumque maturo Doctorum Judicio examinatis perspicuè constet, esse Energumenum aut maleficio affectum &c. multò minus morbos hominum, pecorum languores, aut damna possessionibus illata statim incantationibus, aut maleficiis attribuat, nec homines dum id ordinare existimant, in ista sinat herere opinione, minimè verò confirmet, ne frustra remedia Ecclesiæ ad alios fines & effectus, quàm ordinata sunt, adhibeantur cum periculo contemptus; dum speratos effectus sed indebitos non producant.

8. Quamvis evidenter cognosci nequeat, quando homo à demone obsessus, vel maleficio sit intoxicatus, certiora tamen mali prioris indicia sunt, si lingua peregrina pluribus verbis loquatur, vel loquentes intelligat, si scientiam legendi, scribendi, cantandi artificiosè sine prævia instructione monstret, si distantia & occulta patefaciat, vires supra ætatis suæ seu conditionis naturam exerat, præsertim si, cum remittit afflictio, nesciat, ut antea, de occultis respondere, si jussus invocare nomen Dei, aut orationes piæ dicere, id facere nequeat, si horreat & contremiscat; quando ipso incio adhibentur Sanctorum Reliquiæ, Crucis signum, aqua benedicta, & his similia, quæ ex probatis auctoribus Exorcista nosse studebit. Proderit etiam occultè & discretè

causas



causas inquirere, ob quas dæmon pueretur ingressus aut afflictus maleficio affectus, quæ licet aliquando sint solius Dei gloria, & afflicto augmentum meriti, ordinariè tamen causa sunt peccata, videlicet desperatio ex amissione honorum temporalium, nimia cum dæmone vel cum hominibus, qui cum eo commercium habent, familiares, parentum vel aliquorum de maleficio suspectorum mala dæmonis imprecatio, in superstitionem propensio, gravis alicujus criminis confessione nondum expiati, aut voluntariè in eadem omisso conscientia & in tali statu sacre Eucharistiæ sumptio, nimia ex scrupulis anxietas, per quam, nisi à peritis Confessariis maturè occurratur, miseri homines ad varias perturbationes & desperationem adiguntur. Signa verò particularia malefici præter insolita Symptomata, & effectus corporis accedente Judicio expertorum Medicorum etiam sunt, si morbus præcedentibus minis alicujus personæ suspectæ subito fuerit exortus, si in corpus afflicti ingesta deprehendantur talia, quæ naturæ vi inferri aut generari in eo non possunt.

9. Itaque dum Exorcista his ex signis comperit aliquem Energumenum aut intoxicatum esse, non rejiciat propterea naturalia remedia, confert enim sæpè atræ bilis expurgatio, ideo licet primas det Spiritualibus, perminat tamen afflicto ex præscripto Medici uti medicinis idoneis à se prius benedictis ad hypochondriæ malum minuendum, ipse tamen ess non adhibeat, sed

Spiritu-

Spiritualia, quæ ut feliciorum successum habeant, conscientiam peccatorum maculis purgatam in oratione ad Deum, fervente Symboli Apostolici recitatione nec non Jejunii aliisque carnis afflictionibus aliquot dies se exercent, sibi que persuadeat sine ejusmodi preparationibus, sæpè parum aut nihil profici, juxta testimonium Christi: hoc genus in nullo potest exire nisi in oratione & Jejunio. Dein exorcismos adhibeat juxta agendæ nostræ formam præscriptos, impressionem signi Crucis, Reliquias Sanctorum, Agnum Dei, ut vocant, aquam & cereum benedictum, penes sacros, palmas, salem & alia ejus modisusitate ritu Ecclesiæ benedicta. Sæpius verò utatur signo Crucis, sed cum reverentia & attentione rei signatæ, id est, passionis & mortis Christi Domini, hoc enim vim magnam habet, & adfert homini fiduciam & defensionem, dæmoni verò terrorem incutit, eumque in fugam agit.

10. Quia non suis viribus aut potentiam sed solus Dei Misericordiam & Christi meritis nixus adversus diabolum, Dei & humani generis infestissimum inimicum omnis Exorcista arma suscipit, hinc ab omni fastu & vanæ gloriæ ostentatione sit alienus, Caveat adhuc in Exorcismis à ritibus & rebus ab Ecclesia non approbatis: siquidem Orationes proprio ingenio compositæ suspectæ esse solent, & non tam efficaces, quam si Ecclesiæ auctoritate & jussu instituantur. Nullis Jocosis, superfluis & nu-

gatorum

gatorius interrogationibus, nec ad vana & curiosa edicenda Diabolum adjuret, sed solum ad ea, que ad rem pertinent, & ad augendam Dei gloriam & solamen afflicti erunt convenientia, videlicet de numero, nomine Spirituum obsessantium, tempore & modo, quo ingressi sunt, de causa ingrediendi, & aliis ejusmodi, & an detineantur in corpore ob magicam aliquam operam aut signa malefica, que sic obsessus ore sumpserit, evomat, vel si alibi fuerint disposita, ea manifestet, ut inventa comburantur. Exorcismos igitur legat, & faciat cum imperio & auctoritate, magna fide, humilitate & fervore, & quibus sacris verbis aut signis advertit daemonem magis urgeri, iis magis & crebrius instet; si autem viderit obsessum aliquam corporis parte commoveri, pungi, aut tumorem apparere, ibi Crucis signum & aquam benedictam: que semper in propra esse debet, adhibere non intermittat, servato tamen semper decore & honestate, & salva etiam rerum sacrarum reverentia. Proinde si coram Sacra Eucharistia fieri contingat Exorcismos, nullo modo ea corpori Energumeni, sed Sanctorum Reliquie debita cum Reverentia & decore applicentur. Quia vero daemon, teste S. Cypriano, citius & segnius, quem obsidet, deserit, prout vel fides patientis adjuvat, vel gratia curantis aspirat, debet Exorcista, quando jam se ipsum rite ad hoc munus disposuit, etiam curare, ut ex parte afflicti non sit defectus; curet itaque diligentissime, ne  
afflicti

afflicti spiritus Ecclesie Ministris ad magos, ariolos, divinatores vel quoscumque Exorcistas Laicos pro levamine recurrat aut remediis superstitiosis utatur. Unde Pastores Vicepastores, Concionatores, Catechistae & Confessarii saepius & graviter explicent illius peccati malitiam, & pericula incidendi in plenam servitutem ipsius Daemonis, quibus se tali modo obijciunt.

II. Quoniam non omni spiritui facile leviterque est credendum ob multiplices, easque frequentissimas, quae in hujusmodi visis & maleficiorum denunciationibus intervenire solent, tum malignorum hominum fraudes, tum diabolicas illusiones, idcirco ut ex melius discernantur, sequentes praescribimus regulas diligenter observandas.

1. Effectus, qui solertia & ingenio humano fieri potest, vel aliquando positus est, suspectam facit opinionem de Spiritu vel maleficio.

2. Is qui denunciat visa quaedam vel infestas actiones aut maleficia, diligenter exponendus est, foemina an vir, juvenis an senex, timidae complexionis aut pusilli animi an generosi sit, irem an tristis & melancholicae an laetae sit naturae & morum, pro qualitate enim denuntiantium, minor est denuntiationi fides habenda.

3. Si primus denunciatus haberi nequeat, suspecta redditur denuntiatio & plerumque falsa.

4. Sin primus denunciatus reperiatur, more iudicibus usitato, variis questionibus etiam vagis & alienis est examinandus, & iterum alio ordine & mutatis ante discolorum adjunctis ac subtiliter excudiendus, an vacillet narratio vel suis alicubi dictis repugnet, tunc enim fallacia certo credi potest.

5. Videnda circumstantia prima personae denuntiantis, an sit pauper, avida lucri, improbae vitae, male educata, amans otii, contentionum & inimicitiarum: haec enim suspicionem falsi movent prudentibus.

6. Denique terrore interdum denunciatus conveniri debet, & onere cautionis de infamia gravandus, si constanter asseveret Spiritum quempiam visum, & si junior aetate, virgis, si adultus carcerum minis, similive poena ad veritatem cogendus.

His siquidem Regulis plurimae deteguntur, fraudes, ad quas natura hominum lapsa nimis est proclivis.

12. Ubi vero omnibus mature examinatis, vera Spirituum visio comprobata fuerit, mali a bonis hisce signis uti certioribus, potissimum solent discriminari.

1. Si ad praesentiam vel usum rerum sacrarum diffugiat, ut coram Ss. Eucharistia, ad asperionem aquae benedictae, ad  
usus

usum signi crucis, ad invocationem nominis IESU, Beatissimae Virginis Mariae, aut alicujus Sancti, ad usum sacrarum Reliquiarum, sacrae Imaginis, Agni Dei, cerei benedicti, Stolae sacrae, & similium, quibus Ecclesia uti consuevit contra diabolicas fraudes amuletis, quaeque verae Religionis Catholicae sunt certa signa, tunc enim exploratum redditur Spiritum esse malignum, item, si hujusmodi dissuadeat aut improbet.

2. Si dicat aut ingerat ea, quae sunt contra fidem, vel doctrinam Ecclesiae, vel quae a moribus & Regulis Sanctorum sunt aliena.

3. Si pravam, falsam aut frivolum praetextat apparitionis suae causam, ut, quod ex Imperio alicujus magi redeat, vel ut denunciatus seu manifestet aliqua curiosa vel noxia.

4. Si sermonibus suis hominem incendat ad superbiam, vanam gloriam, inobedientiam, rixas, nimiam animi praesumptionem, desperationem aut alios similes affectus inordinatos.

5. Si prohibeat sua tractari cum superioribus Ecclesiasticis, aut iis exponi, ut Episcopo loci aut ejus vices gerenti, Confessario aut aliis, non enim boni Spiritus quaerunt tenebras, nec volunt ordinatum agendi modum & in Ecclesia usitatum vel a Ss. Patribus praescriptum inverti & immutari.

6. Si blandè accedat initio, postea vero terrorem incutiat,

tiat, anxietatem, desolationem & perturbationem animi, quem admodum enim boni Spiritus, etsi initio aliquid terroris adferant, sua presentia tamen ante recessum illuminant, solantur & tranquilliant animos illorum & ad salubriora ac sanctiora disponunt, quibus apparent, ut passim testatur sacra Scriptura, ita contra Spiritus maligni solent initio blandè se insinuare, sed in decessu in animò horrorem, perturbationem & inclinationem aliquam malam relinquere.

7. Si in formà tetra aut abjectâ appareat, ut in formâ Æthiopis, canis, hirci, serpentis, bufonis aut similis animalis, vel cum fetore, tumultu, horrore seu clade discedat, vel etiam si appareat in formâ humanâ sed monstrôsâ cum pedibus corneis, bovis, aut equi vel sit staturâ procerâ, vel nimis exilis, vix enim existimandum est, demonem in humanâ formâ divîno permisso apparere, nisi cum notabili signo alicujus deformitatis.

8. Si quando præstitum fuerit, quòd subsidii causâ pederit, rursùm aliis occasionibus frivolis quæstis redeat; animâ iustorum, quæ ignibus purgatoriis expiatur, ubi pro illis satisfactum fuerit, aut non redeunt, aut semel tantùm, ut gratias agant. Demones verò quia paucis congressibus nequeunt consequi suum finem quærent varias redeundi occasiones, ut tandem homines decipiant, in peccata & barathrum desperationis aut in sperbiam & præsumptionem nimiam pertrahant

Quarè

Quarè cum frequenter apparent ejusmodi animæ sive Spiritus, earum nomine suspectum est habendum objectum visum, ac merito semper observanda monitio S. Antonii: cum aliqua obtulerit sese visio, inquit, audacter requirite, quis sit ille & unde veniat, ac sine mora, si Sanctorum fuerit revelatio, angelicâ consolatione timor verteretur in gaudium; si verò diaboli fuerit oblata tentatio, fidelis animæ percunctationibus evanescet.

## PARS SECUNDA.

DE

### SACRAMENTORUM SUSCEPTIONE ET ADMINISTRATIONE

#### TITULUS. I.

##### *De Sacramentis in genere.*

I.

Septem esse novæ legis Sacramenta à Christo Domino instituta, & ab Apostolis veluti per manus ad nos transmissa, per quæ omnis vera Justitia vel incipit, vel cepta augetur, vel amissa reparatur, nullus Catholicorum ambigit, quorum quantum major est dignitas atque præstantia, tanto Sanctius & Religiosius sunt administranda

&

& suscipienda. De quorum legitimo usu, virtute & efficacia ceterisque eodem pertinentibus non minus copiose quam Catholicè & Religiosè statuit Sacrosanctum Concilium Tridentinum, cujus decreta & Canones omnes cum Synodus reverenter recipiat, ea non aliter observari præcipit, quam si de verbo ad verbum hic inferri forent, & quæ sequuntur superaddenda magis explicanda & rememoranda censuit.

2. In administrandis Sacramentis Rituale hujus Ecclesiæ Paderbornensis omnes sequantur nihil temerè addendo, demendo vel immutando

3. Administraturi Sacramenta Baptismi, sacre Eucharistiæ, extremæ unctionis & Matrimonii, nec non concionaturi stolâ & superpelliceo vel alba sicut induti, in locis sacris sæcularium confessiones accipiant superaddita insuper stola.

4. In administratione quorumcunque Sacramentorum, vis & efficacia eorum pro capiti sumentium ac præsentium sæpè à Pastoribus explicentur, omnesque preces sacramentales, maximè vero ipsæ formæ Sacramentorum tractim, distinctè & attentè cum debita Reverentia pronuncientur.

5. Et ne dum quis aliis est minister ad salutem, damnationem sibi acquirat, caveat quisque diligentissimè, ut qua decet

mun-

munditiæ & puritate Sacramenta administret, ac dum culpæ graviori se sentit obnoxium, statim se confessione expurget.

6. Pastor vel quivis alius Sacerdos, ad quem Sacramentorum administratio pertinet, requisitus ad administrandum Sacramentum quacunque diei ac noctis hora, statim sit paratus ac facilis, nec sese prætexu horæ importunæ, temporis incommodi, alteriusve occupationis multò minus convivii excuset; aut duribus verbis petentes Sacramenta excipiat, memor ad eximiam illam, quæ in Pastoribus ardere debet, charitatem pertinere, ut æquissimo id ferat animo, graviter alioqui puniendus, gravissimè verò si quem ipsius negligentia sine Baptismo, Confessione, sacro viatico aut extrema Unctione ex hac vita migrare contigerit.

7. Et quoniam Sanctum minimè dandum est canibus, quilibet Parochus vel Viceparochus sacratissimam Eucharistiam & Olea sacra in locis tutis ac vasis mundis fideliter sollicitèque custodiat, ita ut impiis ac sacrilegis hominibus non facilis ad ea accessus pateat, nec ex sacra materia cujuscunque Sacramenti ullus unquam aliquid alicui, etiam specie medicinæ vel tollendi maleficii, tradat vel tradi permittat.

8. Si quis (quod absit) potus vel aliter indispositus atque inidoneus ad administrandum Sacramentum accesserit, sive is Pas-

tor aliussve Sacerdos fuerit, juxta irreverentiæ enormitatem graviter punietur.

9. Pastor domo discedens custodi significet, ubi inveniri possit: si verò à petentibus Sacramentorum administrationem diligenter quaesitus, non faciliè reperiat, & ob absentiam aut moram Pastoris fuboriat, à presentibus murmuratio aut scandalum, aut si in mora periculum, poterit tunc alius Pastor aut Vicepastor aliàs idoneus administrare Sacramentum, matrimonio dumtaxat excepto, salva poena Pastori absentis imponenda.

10. Ut fidelis populus ad suscipienda Sacramenta majori cum Reverentia atque animi præparatione accedat, volumus omninò & mandamus, ut Pastores & Vicepastores sæpè divinatorum horum Mysteriorum institutionem, usum, virtutem, utilitatem, necessitatem & efficacitatem, uti & rituum atque cærimoniarum significationes in concionibus exponant.

11. Prohibemus etiam, ne quis aliquod Sacramentum, sine gravi urgentique necessitate aut expressâ nostrâ nostrivè in Spiritualibus Vicarii Generalis licentiâ, vel obtento speciali in scriptis privilegio Apostolico, in privatis ædibus administrèt aut etiam celebret. Maximè enim decet Sacrosancta hæc Mysteria in Ecclesiâ (quæ Sacramentorum proprius locus est, quæque tam ministrantes quàm suspicientes atque circumstantes omnes in fide,

chari-

charitate ac veneratione magis accendit) omni cultu ac Religione sanctissimè ministrari & celebrari.

12. Præterea cum œcumenica Synodus Tridentina definitur, quòd si quis dixerit receptos & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos aut contemni, aut sine peccato à ministris pro libitu omitti, aut in novos alios per quemcunque Ecclesiarum Pastorem mutari posse, anathema sit. Volumus omninò & severè præcipimus, ut quivis Parochus aliussve Sacerdos in cujuscunque Sacramenti administratione præter actualem seu virtuales intentionem, legitimamque materiam & formam, etiam approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus & cærimonias adhibeat, atque ita decenter gravique actione cuncta in Rituali seu agendâ præscripta peragat, ut adstantes ad Sacrorum tum Reverentiam tum pietatem atque ad celestium rerum cogitationem erigat, & uti Pastor Spiritualis præcundo provocet & attentos reddat.

13. Sacerdos ergò ad Sacramenti alicujus administrationem accessurus ritus & cærimonias pro temporis opportunitate prævideat diligenterque perlegat ac deinde paululùm rei sacræ, quàm acturus est, meditationi vacet, gratiamque dignè & cum fructu Mysterium hoc illudve administrandi imploret.

14. In singulorum quoque Sacramentorum administratione

(Confessionis iuxtaxat Sacramento excepto) unum saltem pi-  
um & honestum, mundoque superpelliceo indutum, ac linguæ pa-  
riter latinæ gnarum Ministrum adhibebit, qui Sacerdoti oranti to-  
tius Ecclesiæ nomine respondeat.

15. Pro Sacramentorum administratione, nihil ante eam exi-  
gatur, post eam tamen, si quid spontè offeratur, vel aliquid  
consuetudine laudabili tanquam debitum præstari soleat, licitè po-  
terit acceptari.

## TITULUS II.

### *De Baptismo.*

#### I.

**P**astores sacrum fontem sub operculo & sera diligenter servent;  
Sacrum quoque Chrisma & Oleum sub serâ & loco honesto cus-  
todiant, & Sabbatho sancto ac in vigilia Pentecostes aquas bap-  
tismales consuetâ benedictione renovent.

2. Quilibet Parochus librum habeat, in quo singulorum Bap-  
tizatorum nec non parentum & patrinorum ac matrinarum  
nomina & cognomina, diemque, mensem & annum diligenter  
describat. Sic enim & ætas pueri & ejus conditio & inter quos  
spiritualis cognatio contracta sit, facile dignoscerur, eundemque  
librum quot annis in visitatione exhibeat & loco tuto custodiat.

3. Diligenter quoque observare moneatur Parochi illud,  
quod in Concilio Tridentino ad evitandam difficultatem & peri-  
cula impedimenti cognationis spiritualis de numero Patrinorum  
constitutum est, ne videlicet, plures, quàm unus vel una vel  
ad summum unus & una, qui infantem dum baptizatur, tangat,  
vel tangant, ad suscipiendum sub quovis etiam prætextu admittantur,  
nisi nostram indignationem & condignam penam sustinere velint.

4. Quia de pueris exposititiis compertum est, quod mulieres  
per appositionem salis non idem semper significare intendant, sed  
subinde collatum esse baptismum, subinde verò contrarium; ideo  
semper & indistinctè, pueri exposititii sub conditione baptizentur,  
sivè sal iis appositum fuerit sive non.

5. Prohibet præterea sancta Synodus, ne quis Pastorum baptismi  
Sacramentum alio in loco quàm in illis Ecclesiis, in quibus sacri  
fontes constituti & consecrati sunt, exceptis casibus in jure per-  
missis, conferre audeat.

6. Hortatur hæc sancta Synodus & requirit omnes Ma-  
gistratus singulorum locorum, ne quam ad ostetricandum  
parturientibus admittant, nisi prius à Curato loci, ubi obstetrix  
moratur, testimonium sinceræ & Catholicæ fidei habeat.

7. Antiquam & Religiosam illam consuetudinem, qua puerperæ  
post absolutum puerperii tempus in proximo statim egressu ad Ec-  
clesiam

clesiam procedunt, ut Deo pro puerperii beneficio gratias agant, & precibus ac benedictione Sacerdotali expientur, tanquam piam ac laudabilem conservatam volumus.

8. Ad abolendam pravam illam consuetudinem, quæ ruri præsertim post baptismum infantium convivia non sine maximis incommodis & periculis tam puerperæ quàm infantis celebrari consueverunt, mandamus Pastoribus & Concionatoribus, ut moneant & exhortentur subditos suos, quatenus ab huiusmodi abstineant.

9. Parochi ob id, quod puer baptizandus sit illegitimus, vel ex parentibus pauperibus, vel exteris illic casu natus ipsum baptizare non reculent aut differant.

10. Non admittantur in patrones notoriè hæretici, notoriè excommunicati, publici usurarii vel aliter publicè infames; neque etiam minores duodecim annis, aut qui per inopiam mentis notitiam non habent ejus fideiussionis, ad quam se offerunt, eadem que cautio sit de commatris.

11. Ubiunque in Ecclesiis parochialibus dirutus est fons baptismalis, restituatur ex lapide solido, ne ex eo aqua effluat, sitque figuræ rotundæ & latitudinis circiter duorum pedum, fixusque loco commode constituatur. Extrâ fontem sacrum nemo baptizetur, nisi fortè quem periculum ad Ecclesiam non per-

mit.

mittit, exceptis his, quibus id à nobis aut Antecessoribus nostris clementissimè indulgum est.

12. Tenebuntur Pastores parentes infantium ultrâ quartum à nativitate diem baptismum differentes nobis aut Vicario nostro in Spirit. Generali aut Archidiaconis denunciare.

13. Sacrum Baptismum ex institutione Christi cunctis etiam fidelium infantibus ad salutem esse necessarium, ipsa veritas testatur, hiscè verbis: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto non potest introire in Regnum Dei; cum itaque sine eo utpote Christianæ Religionis & æternæ vitæ janua & omnium aliorum Sacramentorum fundamento nulla æternæ salutis spes superfit, summa ad illum tempestivè riteque administrandum ac suscipiendum diligentia est adhibenda.

14. Volumus etiam, ut tam Pastores aut eorum socii, co-operatores, seu Vicarii hoc Sacramentum administraturi, quàm Patrimi & Matrinx baptizandum ad templum comitantes non leviter aut perfunctoriè id agant, sed cum Religiosa pietate ac gravitate ad tanti muneris functionem accedant Deoque gratias agant, qui filium iræ & hæredem gehennæ benignè ad Sacramentum Regenerationis admittit, ut fiat filius Dei & hæres vitæ æternæ.



15. Ad majorem autem venerationem pietatemque excitandam, curandum est, ut baptismus semper ante prandium fiat, & susceptores cum amicis pro veteris Ecclesie ritu infantem Deo presentent & offerant, à prandio verò illud non facillè admittatur nisi necessitas, aut periculum infanti imminens, aut habitatio remotior, aut alia justa causa illud requirat.

16. Quoniam verò parvulorum & recens natorum infirma & inconstans est valetudo, adeò ut collatio baptismi sine vitæ periculo differri non possit, valdeque sit absolum, quod ob respectum aliquem externum diutius filius iræ permaneat, qui in adoptionem filiorum Dei admitti potest: Hinc præcipimus, ne sub aliquâ specie vel causâ undecunque quæsitâ baptismus infantium etiam quorumcunque nobilium aut insignium personarum diu differatur.

17. Nullus nisi præviâ licentiâ Pastoris prolem suam extrâ Parochiam suam baptizari curet, & ubi baptizata fuerit, de collato baptismo Pastori testimonium ferat, quod etiam in libro baptismali notetur, Pastores tamen rarò, & non nisi ex gravi causâ licentiam talem concedant. Ideò Parochus Infante baptismi causâ ad se delato dispiciat, an suæ parochiæ sit, quem si alienæ deprehenderit esse, non nisi urgente necessitate baptizet, sed ad proprium Parochum jubeat deportari, quod maximè erit obser-

van-

vandum in prolibus ex illegitimo thoro procreatis, quas parentes, ut crimen suum proprium Pastorem celent, ejusque correctionem declinent, in alienam Parochiam, ubi ignoti sunt, curant ad baptismum deferri.

18. Baptizatis nulla alia nomina imponi debent, quàm Sanctorum, quorum denominatio ac memoria adultis ad virtutis imitationisque studium desiderium accendere possit.

19. Patrini ac Matrinx sint homines pii & Catholici mature ætatis, in fide atque probatis moribus bene instituti, ut filios suos spirituales in iisdem instruere possint, id enim ipsorum, quam pro infantibus Deo & Ecclesie faciunt, sponso requirit, cujus diligenter à Parochis sunt admonendi, ac magis eligentur ii, qui saluti animæ consulere, quàm muneribus augere queant. Arcentur autem meritò ab ista sponsione, qui nondum ad annos discretionis pervenerunt, nec fidei rudimenta tenent, utpote Symbolum Apostolicum & Orationem Dominicam, item qui justo impedimento cessante eo anno peccata Sacerdoti suo confessi non sunt, neque in festo Paschæ sacram Eucharistiam susceperunt, quique hæresi infecti aut excommunicati sunt. Neque enim convenit illos tanquam comministros & testes assistere Sacramentis, qui vel de illis malè sentiunt, vel quos Ecclesia à divinis arcet, vel qui se ipsos à communione & unitate Catholica segregarunt.

20.

10. Alienum autem existimamus, magnam hujus mundi Pompam circa baptismum adhibere, ne ubi unusquisque in Baptismo pollicetur Satanæ renunciare ejusque Pompas deserere, in ipso vitæ Christianæ limine iis rebus dari opera videatur, quibus potissimum solenni sponcione renuntiantur.

### TITULUS III.

#### *De Confirmatione.*

##### I.

**S**acramento Baptismatis succedit aliud, quod à Ss. Patribus nunc Confirmatio, nunc manus impositio, vel Sacramentum Chrismatis aut Unctio, quæ sit divinæ procreationis sacrosancta perfectio, nominatur: cujus quidem Sacramenti virtute homini baptizato plenitudo Spiritus sancti confertur & auxilium ac robur singulare, quale datum est Apostolis die Pentecostes, ut Christi nomen & fidem coram Principibus mundi & orbe toto sine pudore ac timore constanter veleant profiteri. De hujus Sacramenti dignitate vi & effectibus Parochi subditos suos sæpè diligenterque instruant, maxime sub id temporis, quo illud Episcopus in iis locis administraturus est. Postquam Parochus de constituto die Chrismatis administrandi fuerit admonitus, perquirat diligenter, qui confirmandi sint in Parochia etiam per singulorum domos

circum-

circumseundo, si id commodè fieri potest, & die dominico aut festo præcedende ex professo doceat populum suæ curæ & custodiæ commissum ea omnia, quæ ad Sacramentum debitè recipiendum pertinere intelliget. Pastores verò & Concionatores in Domino requirimus, ut eo majori diligentia, sollicitudine ac Zelo in fructibus hujus Sacramenti explicandis versentur, quò vident amplius illud ab antiquis & nostri temporis hæreticis derisui & ludibrio habitum. Cùm ergò hujus Sacramenti utilissima susceptio nequaquam negligenda aut parvi pendenda aut differenda sit, præcipimus omnibus ac singulis Civitatis & Diocesis nostræ Paderbornensis Pastoribus, ut parentes crebrò adhortentur, quatenus suos liberos nondum sacro Chrismate confirmatos ad suscipiendum hoc Sacramentum adducant.

2. Ad Confirmationem accedentes, si non perfectæ ætatis, ut Concilio Aurelianesi olim statutum fuit, saltem septennio non sint minores, ut meliùs suscepti Sacramenti memores esse possint, nisi ex rationabili causâ confirmanti aliud videatur; neutiquàm porrò expedit post ætatis annum septimum, vel quando puer rationis usum assecutus putatur, Sacramentum Confirmationis diutius differri, quia digniùs suscipitur ab innocente, qui gratiam primam baptismi integram hætenus conservavit in eâ ætate, quæ ferè immunis à gravioribus peccatis esse solet.

Aaa

3.

3. Inter adultos verò nullus hæreticus, Excommunicatus, Interdictus vel gravioribus facinoribus contaminatus, aut primorum Christianæ fidei rudimentorum, videlicet Orationis Domini-cæ, Salutationis Angelicæ ac Symboli Apostolorum ignarus ad percipiendum hoc Sacramentum se ingerat.

4. Si quos præmaturè parentibus orbatos vel alios quoscun-que post debitam inquisitionem adhuc dubitare contingat, num Sacramentum hoc susceperint nec ne, illi dubium suum nobis exponant, ut sub conditione confirmari possint, si ita fieri debere judicaverimus; quia tamen frequenter evenit, ut parentibus vitâ defunctis pueri confirmationis susceptæ nequiquam memores iterum se offerant confirmandos, idcirco mandamus parentibus ac patrinis ut confirmatis suis liberis, iis præsertim, qui ante rationis usum consignati sæpe revocent in memoriam, quando, à quo & ubi fuerint confirmati, & à quo Patrino Episcopo oblati, tùm ne hujus oblii rursus sacrilegè consignentur, tùm etiam ut hæc gratiæ plenitudine, quam vi Sacramenti acceperunt, ad Dei gloriam & salutem suam rectè utantur & de virtute in virtutem quotidie progrediantur.

5. Cùm Sacramentum Confirmationis ex præpiâ institutione, ratione & naturâ suâ conferat augmentum gratiæ, necessarium censetur, ut id recepturus jam antea Dei gratiâ decoretur, si-

qui-

quidem augmentum illam supponit, ideò volumus, ut omnes confir-mandi, qui octavo vel summum decimo ætatis anno majores sunt, doll que capaces, ne gratiæ Spiritûs sancti ponant obicem, si conseci sibi fuerint peccati mortalis, quod nondum expiârunt, præmittant Con-fessionis Sacramentum, quo à peccatorum fordibus expurgati, velut munda vasa donis amplissimis Spiritûs sancti affluentius im-pleantur, ac tam animæ quàm corpora eorum vivæ Spiritus sanc-ti templa efficiantur. Quod si tamen propter temporis angus-tias aliudve legitimum impedimentum confirmandi non potuerint sint ante confiteri, saltem de admisis peccatis prius actu con-terantur.

6. Convenit quoque ut hujusmodi Sacramentum ante meri-diem administraretur, & confirmandi, si sani sint, Jejunii ad illud suscipiendum juxta salutarem Concilii Aurelianensis monitionem accedant, ut piis desideriis aliisve dignis poenitentæ fructibus ac pietatis operibus melius præparati copiosius Dei donis cumulen-tur. Verum, cùm plerumque populus numerosus affluat ad confirmationem, usus obtinuit, ut hoc Sacramentum post pran-dium etiam non jejunis conferatur & suscipiatur, quod etiam licitè fieri potest, si infirmitas, angustia temporis vel alia justa causa faciendum suadeat.

7. Qui in baptismo Patrinus esse prohibetur, hic quoque

esse non poterit. Patrinus autem declaramus idoneos, qui primùm ipsi sunt Catholici, confirmati, maturæ ætatis, ab omni Excommunicationis sententia liberi, nec gravioribus criminibus palàm obnoxii, tum qui eo anno ad Sacramentum Confessionis & Communionis accesserunt, qui primâ fidei rudimenta noverunt. Regulares autem personas ad hunc actum accedere prohibemus.

## TITULUS IV.

### *De Sacramento Ss. Eucharistiæ.*

#### I.

Cum Eucharistia sit præcipuum ac maximum Dei donum & longè sacratissimum Sacramentum, quo nihil habet Ecclesia dignius, admirabilius & salubrius, ipsum omnis boni ac gratiæ fontem & auctorem continens, dolendum sanè est, multorum sanctæ Religionis Catholicæ adversariorum impia studia conatusque in oppugnationem hujus divinissimi Sacramenti converti, multorum item & maximè malorum Sacerdotum impuritate ac vitâ malâ, divinum hoc Sacramentum horrendum in modum profanari atque contemni, ut mirandum non sit, si Deus meritò hinc offensus gravissimas in populum calamitates immittat. Cui utriusque malo occurrere cupientes seriò Pastoribus ac quibuscunque Concionatoribus & divini verbi præconibus commendamus, ut  
que

quæ de astruendâ hujus Sacramenti veritate, transubstantiatione, adoratione, sumptione, oblatione &c. Sancta Synodus Tridentina post Ss. PP. & DD. testimonia definivit, populo diligenter proponant atque explicent.

2. In singulis Ecclesiis Parochialibus plures Hostiæ sacræ ad usum ægrotorum continuò asserventur & quidem sub serâ & in loco honesto ac decenti vasculo.

3. Frequenter pro loci humiditate vel siccitate species sacramentales renoventur.

4. Hostiæ consecrandæ sint recentes & integræ, sed non plures præsertim in Paschate vel aliis solemnioribus fessis, quando populus communicare solet, consecrentur, quàm quot Pastor aut alius Ecclesiæ Rector animarum curam habens pro ægotantium aliorumque communicantium numero circiter esse necessarias judicaverit.

5. Sacrosancta Eucharistia nec adorationis causâ nec in gratiam infirmorum servetur alibi, quàm in loco sacro, in Ecclesiis nimirùm Parochialibus vel aliis, quibus animarum cura annexa est.

6. Tabernaculum vénéralis Sacramenti ubi nondum est, sollicitè sit Pastor, ut id conficiatur, quod fiat vel in medio Altaris, vel in pariete juxtâ Altare extrinsecus decorè depictum, ejus:

ejusque ostiolum aliquâ cortinulâ sit tectum, intrinsecus autem panno colorato tabernaculum sit circum vestitum, ac circumquaque firmum & tutò clausum, sub ipso duntaxat venerabis Sacramenti vase candido semper corporali stratum. Tabernaculum quoque in quo sanctissimum Christi Corpus in Ecclesiis deponitur & custoditur, sit firmum, clave obferatum, & juxtà cujuscunque Ecclesiæ facultates intus & foris decenter exornatum, atque sacri Chrismatis sanctorumque oleorum vasculi, sanctorum quoque Reliquiis & ab omni aliâ re vacuum.

7. In quâlibet Parochia ut minimùm sint duo vascula, in quibus sacræ Hostiæ conserventur, unum quod veteri vocabulo Ecclesiastico Ciborium vocamus, in quo reponantur sacræ Hostiæ communicantibus distribuendæ, quo etiam uti licebit, dum venerabile Sacramentum ad infirmos defertur. Alterum verò vasculum sit Hierotheca perlucida, quam vulgo Monstrantiâ appellat; cujus usus sit venerabili Sacramento deferendo in publicis Processionibus, vel cultûs & adorationis causâ proponendo super Altare, quæ hierotheca idcirco inter columnellas ita Chrystatillo transparenti circumdetur, ut sacræ Hostia perspicere possit. In ipso tabernaculo recludantur dictæ pixides duæ, easque oportet esse aureas vel argenteas, vel minimùm propter Ecclesiæ paupertatem, vel direptionum pericula stanneas mundas, & nitidas, nullo modo, verò ligneas, testaceas, vitreas ob periculum fractionis,

tionis, non lapideas ob humiditatem & gravitatem, nec æneas vel cupreas ob æruginem, quam patiunt, quæ vomitum provocat: Omnia vasa sacra, ad ostensionem, deportationem, vel custodiam Ss. Eucharistiæ serviunt, ut sunt Monstrantiæ, Ciboria, pixides, calices & quæcunque alia vascula, si argentea, aurea vel inaurata sint, quotannis minimùm bis circâ festum Paschæ ac S. Michælis intus & foris mudentur & splendori suo restituantur: si propter Ecclesiæ paupertatem vel direptionum pericula fuerint stannea singulis saltem mensibus diligentissimè defricentur.

8. Clavis illius tabernaculi nunquam in ejus ostiolo, Altari, aut loco vicino vel Sacratio relinquatur, neque ulli unquam Laico vel Aedito, vel ulli etiam in Monasteriis moniali credatur, sed in Ecclesiis Parochialibus solus Parochus vel alius Sacerdos cum ipsius licentiâ, in aliis autem Ecclesiis tam sæcularium quam Regularium Sacerdos ab earum Ecclesiarum Superiore speciatim deputatus clavem illam, idque sub gravi arbitrariâ penâ, custodiat, diligentissimeque curet, ut illud semper clausum sit, ne ulla unquam Sacramento huic injuria fiat. Si quis ipsius sacræ Eucharistiæ Custos eam incautiùs servarit, per tres menses juxtà Canonicas sanctiones ab Officio suspendatur, & si per ejus incuriam aut negligentiam aliquid nefandum contigerit, seu gravior Sacrosancto huic Sacramento irrogata fuerit injuria, pro modo culpæ graviori etiam in eum penâ animadvertatur.

9. Ubiunque locus ab hostibus ac prædenibus est tutus, & facultates Ecclesiæ ferunt, continuo tam de nocte quàm de die ante Tabernaculum sanctissimæ Eucharistiæ lumen ardeat, alibi ubi nimia paupertas aliud non sinit, saltem sub Officio divino ob Reverentiam tanti Sacramenti, & ut significetur præsentem esse eum, qui lucem habitat inaccessibilem, quique mentium nostrarum tenebras illustrat, ardeatque sumptibus fabricæ, vel alterius qui ad hoc obligatur; quod ut non negligatur, Parochos ac Sacerdotes seu æditos ad hujusmodi incuriam & luminarium defectus, ubiunque fuerint, corrigendos aut nobis vel nostro Vicario quamprimùm denunciandos adhortamur. Fundationes etiam in eum usum reliquæ strictè impleantur.

10. Porrò cum sicut corpus pane ciboque, sic anima spirituali alimento sæpius sit reficienda, diligenter excitent Subditos & Auditores suos Parochi & verbi Dei præcones ad debitum tanti Sacramenti cultum & frequentem ejus usum: iisdemque crebrò exponant & maximè festis celebrioribus, quando populus communicare solet, quanta sit ipsius Eucharistiæ excellentia, quàm admirabiles effectus in ritè dispositis pariat, quantà proinde animi Religione, pietate & humili etiam corporis habitu ad divinum hoc Epulum (in quo omnis spiritualis dulcedo quasi in suo fonte gustatur) sit accedendum. Non desinant etiam Pastores & Concionatores sæpius adhortari parentes sub concionibus &

aliàs,

aliàs, ut liberos, postquam ejus ætatis & judicii fuerint, ut possint Sacrosanctum Corpus Domini discernere, ad ejus participationem inducant, & Ecclesiæ offerant, ut hoc cœlesti cibo partem omnium bonorum operum & meritorum capiant incrementa; interim tamen Pastores & reliqui curam animarum habentes advigilent, ut neminem ad illud admittant, quin certò sciant eum vel saltem prima fidei rudimenta probè scire & quid in sacra Eucharistia contineatur, intelligere. Sæpius quoque populum admoneant, quo nullus sibi peccati mortalis conscius, licet sibi contritus videatur, absque præmissâ Confessione sacrosanctum Corpus Christi possit sumere, nisi in periculo mortis cum æger non potest confiteri, vel abest copia Confessarii.

11. Inculcent similiter omnibus, quod teneantur naturali Jejunio servato accedere ad hoc Sacramentum, ita ut saltem à mediâ nocte nihil omnino ne quidem per modum medicinæ comederint aut biberint, ac ut utroque genusexo Sacramentum istud humiliter adorent, reverenter suscipiant, neque eo sumpto statim ab Ecclesia discedant, aut colloquantur, aut vocalibus precibus occupentur, ne sacra Hostia vel aliqua ejus particula incautè ex ore decidat, sed aliquantisper, quâ par est pietate, mente orent, ac tacitè Deo pro tam singulari beneficio nec non pro sanctissima Passione Domini, ad cujus memoriam refreandam hoc Mysterium est institutum & sumitur, gratias agant.

Bbb

12.

12. Adhuc mandamus Pastoribus & eorum vices tenentibus, ne sacrosanctam Eucharistiam administrent publicis peccatoribus, aut concubinariis publicis, antequam concubinas suas dimiserint, meretricibus, usurariis publicis, nisi usuris renunciaverint, & injusta lucra restituerint, aut de iis restituendis cautionem dederint; palam inimicitias exercentibus, nisi reipsa pacem composuerint, vel sese ad reconciliationem debite obtulerint: Phreneticis seu amentibus perpetuis, dum rationis usu carent, aut à pietatis sensu sunt alieni, non licet hoc dare Sacramentum; licebit tamen, quando lucida habentes intervalla sui que facti compositè piè religiosè illud sumere desiderant.

13. Peccatores verò occultos, si occultè petant, & eos emendatos Parochus non agnoverit, repellat: non autem si publicè se ingerant & sine offenculo nequeant præteriri.

14. Eandem etiam de Energumenis rationem haberi volumus, quibus, si pia animi præparatione se dignos ea fecerint, nequaquam sacra Eucharistia est neganda, tum ut ejus virtute muniantur ab incursum demonum, quo infestantur, tum ut purgentur.

15. Damnatis ad mortem de peccatis ritè confessis & contritis negari non debet Eucharistia, sed tamen danda ante diem supplicii, si commodè fieri possit, ne aliquid præter Reverentiam tanti Sacramenti contingat.

16.

16. Quilibet annos discretionis habens communicare debet, ut minimùm in Paschate in Ecclesia sua Parochiali. Incipit autem Pascha ad hunc effectum in Dominica Palmarum, & durat usque, ad Dominicam in Albis inclusivè. Qui huic mandato Ecclesie non obedierint, vel in Paschate à Parochia abfuerint, & reversi intrà octo dies non docuerint se alibi in Paschate communicasse, in Synodali visitatione denunciuntur, ut nisi legitimam excusationem attulerint, & vivi ab ingressu Ecclesie arceantur & mortuis Ecclesiastica denegetur sepultura. Ad hæc cum oporteat in Parochia quemque sua in Paschate ad sacram Synaxin accedere, non satisfaciunt communicantes in aliis Ecclesiis quorumcunque etiam Ordinum privilegiorum, quod in Dominica Passionis in Parochiis publicent Pastores unà cum decreto Concilii Lateranensis de Communione in Paschate faciendâ. Ut igitur hoc salutare Concilii decretum inviolatè servetur, quis Parochus nomina & cognomina suorum Parochianorum in libro statûs animarum habeat descripta.

17. Pastores & quicumque alii Sacerdotes venerabile Corporis Christi Sacramentum ad ægros aut alios nunquam perferant, nisi decenter & reverenter ornati stola & superpelliceo, & custos superpelliceo indutus lumen & campanulam sonantem præferat, quo populus sui moneatur officii, tum ergà Sacramentum, tum ergà laborantem infirmum, idque observetur, etiam si infirmus

Bbb 2

fre-

frequentius in ægitudine sua viaticum salutis sibi deferri petat. Quoties autem Sacerdos ad ministrandum ægrotis Sacramentum accersitur, semper duo ad minimum ex ipsius ægroti vicinis presbyterum cum custode à Templo ad ægrotum usque detectis capitibus & cum maturitate deducant, & inde ad Ecclesiam reducant. Monentur verò omnes constitui in via, qua Sacerdos cum venerabili Sacramento transit, ut summum illi honorem exhibeant, & sive equo, sive curru vehantur, religiosè descendant; & tamdiu flexis genibus permaneant, quoad Sacerdos cum venerabili Sacramento transierit, quod multam huic sanctissimo Sacramento conciliat reverentiam, idque nullius dignitatem dedecere, sed pro fidei suæ devotione ac professione verè gloriosum ac Christianum esse arbitrari omnes debent. Curetur verò diligenter ut in administratione hujus Sacramenti ægrotantis cubiculum expurgatum decenterque sit compositum, mensa aliqua linteo mundo inslrata, ac etiam Cruce, luminaribus, ac vasculo aquæ benedictæ instructa præparetur, in qua pixis cum venerabili Sacramento constitui possit, Parochi etiam Subditos suos sæpe hortentur, ut dum sanctissimum hoc Sacramentum ad ægrotum deferretur indeque ad Ecclesiam reportatur, frequentes illud ac devotè comitentur.

18. Viaticum sacratissimi corporis Domini ægrotantibus mature

turè & sollicitè procurandum est, ne fortè contingat eos tanto bono Parochi incuriâ privatos decedere.

19. Infirmis, qui pietatis studio suâ in ægitudine communicant, danda est Eucharistia ante omnem cibum & potum; potest tamen viaticum brevi morituris dari non Jejunis, id tamen diligenter curandum est, ne his tribuatur à quibus ob phrenensio, assiduam ruffim, frequentem vomitum, aliumque similem morbum aliquid indecori cum injuria tanti Sacramenti timeri potest.

20. Abusus, ut ad ægrotos deferatur venerabile Sacramentum sub tempus vespertinum, paulatim tollatur. Nunquam tamen Pastor tempore nocturno aut aliàs quantumvis importunè vocatus, cum id infirmi status postulat, ab officio faciendo sese excuset, gravissimè puniendus, cujus culpâ infirmus non munitus Sacramentis ex vita discesserit.

21. Nunquam unica duntaxat sed ut minimum duæ semper sacræ Hostiæ ad ægrotum deferantur, & unicâ infirmo exhibitâ, altera ad Ecclesiam eodem honore & comitatu referatur, ne Parochi ad Ecclesiam redeunde, inanem pixidem populus adoret. Et hæc quidem ordinatio plerumque observanda est ab omnibus, quod si tamen vel nimia loci distantia, vel itineris temporis difficultas, vel alia justa causa, quò minus id præstari possit, vel

cir-



circumspetto *parcho* fuaserit, tum eidem licebit eam sanctissimæ Eucharistiæ particulam solam deferre, quam æger percepturus est, quo casu tamen inane vasculum seu pixidem occultè, silente campanulæ & sine lumine ad Ecclesiam referet.

22. Quod si longius aut difficilius iter obeundum sit, aut etiam equitandum, includatur pixis cum Sacramento bursæ decenti ad collum appensæ, & ita ad pectus aligatæ, ut neque decidere neque è pixide Sacramentum excui possit.

23. Inter eundem caveat, ne vanos oculos huc illucque coniciat, aut fabuletur sed cautè reverenter & graviter incedat, cœlestemque illum quem manibus gestat Theaurum fide portet & linguam mentemque precando exerceat.

## TITULUS. V.

### *De sacrificio Missæ.*

#### I.

Constans est Ecclesiæ vera doctrina, quam semper tradidit & à suis ministris doceri vult, Eucharistiam simul & Sacrificium esse & Sacramentum; Sacrificium veræ laudis & gratiarum actionis; impetratorium ac propitiationis pro fidelibus vivis & defunctis, Sacramentum autem spiritualis alimoniz, quo vitam nostram spiri-

spiritualem tueri & conservare possimus: nec potuisse Salvatorem nostrum, quando seipsum in ara Crucis obtulit, illustris ergà nos suam charitatem testatam facere, quàm cum nobis visibile Sacrificium reliquit, quo cruenti illius Sacrificii in ara Crucis semel immolati virtus & efficacia in nos derivaretur, cujusque memoria usque in finem sæculi quotidie summâ cum utilitate ab Ecclesia per totum terrarum orbem diffusa recoletur. Cumque fateri cogamur, nullum opus adeò sanctum ac divinum à fidelibus tractari posse, quàm hoc ipsum tremendum Mysterium, quo vivifica illa Hostia, quâ Deo patri reconciliati sumus, in Altari per Sacerdotes incruento modo quotidie offertur, satis etiam apparet, omnem operam & diligentiam in eo ponendam esse, ut quantâ maximâ fieri potest interiori cordis munditiâ & puritate, atque exteriori devotionis & pietatis apparatu ac specie illud ipsum peragatur.

2. Itaque imprimis innumeris, quæ ex irreverenti & indecenti sanctissimi Missæ Sacrificii celebratione proveniunt, malis, quantum in Domino possumus, maturè occurrere cupientes, omnibus modis interdiximus, ne quis aextraneus, vagus, ignotus vel peregrinus in ulla Civitatis & Diœcesis nostræ Ecclesiâ sive seculari, sive regulari ad celebrandum Missam, Sacramenta ministranda, aut etiam prædicandum verbum Dei admitatur, nisi prius exhibito Episcopi sui, à quo consecratus est, testimonio Superioris sui commendatitii literis.

3. Cùm Episcopi etiam ex functione Concilii Tridentini curare debeant, ne quis publicè criminofus Sacerdos aut sacro Altari ministrare, aut sacris interesse permittatur, injungimus omnibus Ecclesiarum Prælatiſ, Superioribus & aliis univerſis animarum curam habentibus, regularibus ac ſæcularibus, ut Episcopali auctoritate noſtrâ publicos concubinarios, uſurarios, ſimoniacos, alioſque palàm excommunicatos, criminofos presbyteros ab Altaris Ministerio removeant, alioqui tam illi qui mortaliſ peccati publici rei celebrant, quàm qui in hoc connivent, ſeverè à nobis punientur.

4. Ut inter ſeptem planetas ſplendidiffimum ſolis jubar, ſic inter Eccleſiæ Sacramenta Sacroſancta Euchariftia eminet, que puriffimum & lucidiffimum juſtitiaſ ſolem re ipſa & per ſe præſentem comprehendit, quam non niſi terſa & vitis omnibus lethalibus expurgatâ conſcientiâ licet percipere, idcirco divino & poſitivo jure præceptum eſt, ne quis peccati mortaliſ conſcius, quantumvis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa ſacramentali Confeſſione ſacrum Euchariftiam accedere audeat, quod præceptum inviolatè à Laicis communionem ſacrâ reficiendis majorique ratione à Sacerdotibus ſacrificantibus mandamus obſervari, quoties adeſt copia Confeſſarii, quod ſi urgente neceſſitate Sacerdos abſque prævia Confeſſione, excitata tamen prius contritione Miſſam celebrarit, ea finita quamprimùm, ut definiit œcumenicum Concilium Tridentinum, tenetur conſiteri.

6.

5. Primam Miſſam celebraturus Sacerdos non ante id facere permittatur, quàm priùs generales & ſpeciales rubricas & ritum celebrandi Miſſam tam privatam quàm ſolemneſ ſecundum præſcriptum Miſſaliſ Romani diligenter perlegerit, atque ſacris Miſſæ ritibus & cœrimoniis ab aliquo pio & erudito cœrimoniarum & rituum Eccleſiæ Romanæ apprime perito Sacerdote debitè fuerit inſtructus, nec non eaſdem cœrimoniis & ritus ſe perfectè didiciſſe, ſuperiori, cui ſubeſt, teſtimonio ſui inſtructoriſ legitime probaverit.

6. Et ne Sacerdotum ſordibus res ſacroſancta in oculis quoque vulgi vileſcat, & maledictio, quam Deus minatur, opus ſuum negligenter facientes feriat, volumus & quibuſcunquè Civitatis & Dioceſis noſtræ presbyteris ſeverè præcipimus, ut omnes tremendum Miſſæ Sacrificium celebraturi mundis honeſtiſque Altaris ornamentis, vaſis, calicibus, patenis Pontificali ritu conſecratis, benediſtis corporalibus, pallis, veſtibus ſimiliter benediſtis, nitidis pariter & integris, Romano Miſſali, nunquam ſolis candelis ſebaceis in Altari, ſed cum eis vel ſine eis ſemper duobus minimum decentis formæ cereis, in feſtis autem ſolemnioribus etiam pluribus, ante Evangelium S. Joannis vel aliud, ſi decendum fuerit, in fine Miſſæ plenè lectum non exſtinguendis utantur.

Ccc

7.

7. Quo Christi fideles Ecclesie præcepto de Missa audienda facilius queant satisfacere, feriò mandamus, in omnibus curatis & vicecuratis Diocesis nostræ pagorum Ecclesiis non Collegiatis, Dominicis & feri festis diebus Missa Parochialis, certa & eadem semper hora fiat, ætate quidem hora octava, hyeme verò hora nona, ubi verò eodem die duæ Missæ dici consueverunt, is ordo servetur, ut prima in ipso diluculo pro plebis commoditate dicatur, ut pro majori sua quisque commoditate præcepto Ecclesie de audiendo sacro satisfacere possit, præmissa tamen singulis prædictis Missis trina campanarum pulsatione.

8. Ut populo major quotidie Deo serviendi sit opportunitas, curabunt Ecclesiarum Superiores, Pastores, aut eorum vices gerentes, ubi magna est Missarum frequentia, ut per singulas dimidiatas aut saltem horas Missa fiat, qua in re ad omnem evitandam confusionem nunquam plures unâ horâ simul ad Altare convolent, ne reliquo tempore nullus in templo Sacerdos Sacrificium offerens reperiat, sed ordinatè alter alteri succedat, quibus ex officio sacrificare incumbit, certamque sibi horam in Catalogo celebrantium aptè concinnato & in Ecclesie choro vel Sacristia affixo præscriptam habeant. Illi verò qui pietatis studio sacrum facturi sunt, si priores per spatia diversa sacrificabunt, idem intervallum observabunt, sin autem sine aliquâ temporis intermissione alius alium ad sacrificandum subsequatur, nec post

nec

nec ante illos sacrificium offerre his integrum sit, ita cum prioribus concurrant, ut tamen non eodem temporis momento accedant, sed vel ad lectionem Evangelii, vel post factam corporis Christi elevationem sacrum inchoabunt: id ipsum & in Monasteriis fieri exoptamus, ne dum simul plurimi sacris operantur, decori domus Dei aut Mysteriorum venerationi & gravitati nonnihil decedat, sed omnia ordine summâque cum honestate & dignitate in Dei Ecclesia peragantur, sic enim sacris Mysteriis major accedet reverentia, populo verò ad templum quotidie venienti commodior erit sacri statim audiendi occasio.

9. Calices stannei, quorum usus quidem in Missa sacrificio toleratus est, si ullo modo fieri potest, tollantur, eorumque loco argentei substituantur, aut certè superior eorum cuppa sit argentea insurata, maxime ubi non est periculum ab hostibus aut prædonibus.

10. In dicendis vel cantandis Missis servetur Ordo-breviarii, ac proinde Missa quotidie præsertim verò diebus Dominicis cum diei officio conveniat.

11. Curent quoque Abbates, Præpositi, Archidiaconi, Decani, Pastores & alii Ecclesiarum quarumcunque Superiores, quò ab offensa Dei sese liberent, ne tam in summæ quàm defunctorum Missæ sacrificio Epistola, Symbolum fidei, Præfatio &

Ccc 2

Ora-

Oratio Dominica, tanquam præcipuæ eorum, quæ in Missa canuntur, partes Cantorum vel organorum concenru mutilentur aut intercipientur, multò minus reliquum decantandæ Missæ Sacrificium proximè post elevatam hostiam lectione submissâ absolvatur, sed omnia ex integro distinctè & articulatè canantur.

12. Elevato Corpore & Sanguine Domini nostri Jesu Christi in sacrosancto Missæ Sacrificio pulsu tintinabuli omnes Christi fideles adorandi Dei in Sacramento verè & re ipsâ præsentis admonentur, curentque Pastores, Concionatores, Ludimagistri, aliique puerorum sacrificantibus inservientium instructores, ut pulsus ille nihil puerilis insolentiæ vel gesticulationis præ se ferat, sed soni sui gravitate & modestiâ majestati rei, præsentis congruenti decorem & attentionem eidem conciliet. Celebrantibus autem semper minister adsit, qui ipsis inserviat & respondeat corpore & moribus compositis, qui ab altari non nisi peracto sacra cum Sacerdote secedat.

13. Præcipit sacra Synodus Tridentina, ut quæ in Missæ celebrationem irrepsérunt à tanti Sacrificii dignitate aliena illa locorum ordinarii Episcopi prohibere atque è medio tollere sedulo curent & teneantur. Quamobrem Nos hujusmodi decreto inherentes omnia & singula, quæ vel avaritia, vel irreverentia, vel superstitio, vel malus usus induxit, sublata esse volumus, sicut

sicut sunt passiones, mercedes, candelarum certus numerus, inusitatae preces, & quæ sunt similia avaritiæ & superstitiosæ vanitatis sufflamina.

14. Missæ nec nimis tardè nec nimis festinanter neque memorerit sed ex missali legantur.

15. Circà elevationem sacrae Hostiæ, Antiphonæ vel aliæ cantiones intempestive ne interciantur, sed alium silentium cum recollectione animi, quo præsentibus tunc Mysteriis debetur, observetur. Post elevationem Calicis, si musicè cantandum est, id devotè & graviter fiat. Ubi verò hætenus moris fuit, ut ad elevationem majori vel aliâ campanâ signum detur, etiam imposterum observetur; ubi non fuit, introducarur & populus admoneatur, ut tam domi quàm foris ad dictum signum reverenter vel stet capite detecto, vel in genua procumbens oret, guttias agens Redemptori nostro, quod propter nos & nostram salutem descendit de cælis & incarnatus est de Spiritu sancto & HOMO FACTUS EST.

16. In Altaribus & circà illa nihil omninò sit sordidum vel incompositum, in vestibis sacris nihil lacerum vel immundum. Nihil quoque desit in sacris vasis ad officium divinum spectantibus.

17. Multàm Pietatem ac devotionem in populo promovebit;

si Parochi & Concionatores hujus Sacrificii à Christo in ultima Cœna institui veritatem, excellentiam & admirabiles fructus singulari studio doceant, eumque commonefaciant, ut non solum Dominicis & festis sed aliis etiam diebus per hebdomadam sacro Missæ officio interesse studeat.

## TITULUS VI.

### De Sacramento Pœnitentiæ.

#### I.

Si ea regeneratis omnibus gratitudo ergà Deum esset, ut iustitiam in baptismo ipsius beneficio & gratiâ susceptam constanter tuerentur, non fuisset opus aliud ab ipso baptismo Sacramentum ad peccatorum remissionem esse institutum, quoniam autem Deus, qui dives est in misericordia, cognovit signum nostrum, illis etiam vitæ remedium contulit, qui se in peccati servitutem & demonis potestatem tradidissent. Sacramentum videlicet pœnitentiæ, quo lapsis post baptismum beneficium mortis Christi applicatur, ut merito Ss. PP. & Concilium Tridentinum pœnitentiam secundam post naufragium tabulam appellârunt, quâ scilicet ex vortice mortalis peccati, tanquam è naufragio subvehi & in portum salutis transferri unusquisque possit.

2. Sacramentum istud non minus lapsis post baptismum ad salutem necessarium, quàm nondum renatis baptismus.

5.

3. Ad Sacramentum pœnitentiæ constituendum tria concurrunt essentialiter; materia, forma & minister, materia remota sunt peccata actualia post baptismum admitta, proxima seu partes integrantes sunt actus pœnitentis, contritio, confessio, & satisfactio, forma illis Ministri verbis continetur, Ego te absolvo &c. quibus ex laudabili Ecclesiæ Catholicæ more solent preces quædam præmitti, licet ad rationem formæ non spectent.

4. Doceant autem Parochi diligenter suos Parochianos, post lapsum ac mortalis Peccati reatum hoc medicamentum atque per fugium Christianis omnibus adeo ad reconciliationem salutemque necessarium esse, ut sine illo vel ejus voto nemo in nova lege lethali peccato adstrictus salvari possit. Hanc autem frugiferam esse pœnitentiam, ut quibus modis Deum offendimus (offendimus autem corde, ore, ac opere) iisdem reconciliemus Deo, corde quidem per contritionem, ore per Confessionem, ac opere per satisfactionem: quas partes tum essentielles, tum integrales frequenter populo inculcandas & præsertim ob laxiores hujus temporis opiniones ostendendum monemus, specialem peccatorum Confessionem, cum numero ac circumstantiis, speciem peccati aut mutantibus, aut notabiliter aggravantibus necessarium esse, ut Sacerdos causæ cognitionem rectè ex statu pœnitentis intellectu instituere, & ubi peccata solvenda, ubi liganda, rectè discernere possit. Cùm toto anno tum præcipuis Christi & B. Virginis festis.

festivitatibus, & quadragesimæ potissimum tempore fidelibus pœnitentiæ atque Confessionis usus, fructusque frequenter à Parochis & Concionatoribus erit commendandus, populus ad eorum frequentationem piis cohortationibus excitandus, monendique communiter omnes, si per annum sæpius & quidem in gravissima peccata labantur, quanto cum salutis periculo conjunctum sit, si salutare pœnitentiæ remedium non eligant, sed potius in tanto salutis suæ æternæ discrimine versari ac Dei gratiâ destitui, majoremque hac Confessionis dilatione humani generis hosti occasionem insidiarum ac maliuæ suæ in ipsos exercendæ præbere velint.

5. Cùm in Confessionum auditione sit positum incredibile momentum ad seriam emendationem vitæ ipsius populi, studiosè in hoc incumbant Confessarii, ut in confessionibus audiendis magnum fructum faciant pœnitentibus, salutare pœnitentiæ injungant, & salubria consilia ad peccata vitanda & ferè vitam corrigendam suggerant.

6. Puerperæ & alii, quibus probabile vitæ periculum imminet, non differant salutaribus pœnitentiæ remediis se munire, sed idque tempestivè, ne cum corpore etiam animæ periculum incurrant, & ad hoc studiosè advigilent Pastores, atque etiam, cùm necessarium judicaverint, ultro sese offerant.

7.

7. Ne quis ignorantiam præcepti de annua saltem Confessione & Communione in Paschate ab omnibus & singulis utriusque sexûs Christi fidelibus, cùm ad annos discretionis pervenerint, juxtâ magni Concilii Lateranensis constitutionem, implendi prætereunda queat, volumus quotannis tam à sæcularibus quàm regularibus Concionatoribus & Confessariis id ipsum Dominicâ passionis publicari, post Dominicam in Albis vigilare & annotare Pastores, quinam ex suis Parochianis intrâ quindenam Paschalem, quæ à Dominica Palmarum usque ad Dominicam in Albis inclusam numeratur, defuerint officio, eos moneri, nisi præcepto satisfecerint, vivos à cœtu fidelium, mortuos ab Ecclesiastica sepultura removendos esse.

8. Ne tepidi Catholici vel de fide suspecti facilè, prout hactenus factum fuisse cum dolore accepimus, dictam Ecclesiasticam legem eludant, & in fordibus suis diutius voluentur, volumus ut Pastores quoties similes in Parochia sua commorari deprehenderint, exigant ab iis testimonium Confessarii sui, ut inde constet ubi & quando fuerint in isto anno confessi. Item in pagis, qui se dicunt in Paschate alibi Confessos esse, testimonio Confessarii Episcopali nostrâ auctoritate approbati id docere teneantur, quod si non fecerint, contra eos ut non Confessos procedatur.

9. Hortamur in Domino omnes medicos, ut in visitatione

D d d

ne

ne infirmorum Bullæ PII V. quæ incipit, *suprà gregem*, sese conforment, quâ sancitur, ut infirmos in lecto jacentes ante omnia moneant, ut idoneo Confessori omnia peccata sua confiteantur, neque tertio die ulterius eos visitent, nisi longius tempus infirmo Confessor ob aliquam rationabilem causam concefferit, & eis per fidem à Confessore in scriptis factam constiterit, quod infirmi sui peccata sua confessi fuerint.

IO. Qui infirmorum Confessiones excipiant, si Pastores non sint, scripto in domo decumbentium relicto aut aliter de excepta confessione Pastori fidem faciant.

II. Quoniam Minister Sacramenti poenitentiae est solus Sacerdos, qui non hominis sed Dei Judicium exercet circa animas pretioso Christi sanguine redemptas, dum Confessionibus poenitentium intendit, in eo cum primis præter potestatem Ordinis quam presbyterio initiatus accepit, necessariò requiritur iurisdicctio in poenitentem ordinaria vel delegata (præviâ tamen Episcopi Diocesani ejusve in Spiritualibus Vicarii Generalis, post Examen si opus fuerit, vel aliâ approbatione) sine quâ nulla est absolutio, sicut sacra congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum idipsum disertis verbis felicitis recordationis GREGORIO XV. & URBANO VIII. Pontificibus maximis confirmantibus declaravit.

11. Nullus itaque Sacerdos sive sæcularis, sive regularis Confessiones audire præsumat quorumcumque sive sæcularium, sive Laicorum, sive Sacerdotum & Clericorum, nisi prius Examine præmissò idoneus repertus, & à nobis aut nostro Vicario Generali approbatus fuerit, excepto mortis articulo, quando approbatus Confessarius haberi non potest, tunc enim quilibet Sacerdos ab omnibus & quibuscunque peccatis, etiam Sedi Apostolicæ, aut Nobis reservatis, in foro conscientiae absolvere potest, præter hanc Jurisdictionem præsentem requiritur vitæ integritas, ætatis aut saltem morum maturitas, scientia Canonum, poenitentialium censurarum, casuum reservatorum, diligens lectio probatorum & piorum scriptorum, qui de Sacramento poenitentiae scripserunt, prudentia & discretio, ut sciant distinguere inter lepram & lepram & salutarem medicinam peccatis contrariam applicare.

12. Et quia persæpè compertum est, Sacerdotes vel non ritè ordinatos atque etiam irregulares, vel vitæ morumque honestate & doctrinâ minimè habiles, in aliena Diocesi, aut ad curam animarum gerendam, aut sacramentales Confessiones audiendas approbationem variis modis & artibus extorsisse, eamque non legitime in nostra Diocesi usurpare, meritò in memoriam revocandam duximus CLEMENTIS V. Pontificis maximi Constitutionem, quâ cavetur, ne Confessarii extrâ Civitates &

Dioeceses, in quibus ante fuerunt approbati, Confessiones audiant, absque novâ cujusque Episcopi Dioecesani approbatione, uti Concilium Tridentinum insinuat, dum universè ab Episcopis Dioecesanis prius approbandos decernit quoscunque tum seculares, tum regulares Sacerdotes, quam ad Parochiale beneficium regendum vel Confessiones audiendas in eorum Dioecesibus admitti queant, cui congruenter sacra Congregatio Cardinalium ejusdemque Concilii Tridentini interpretem expressè declaravit, semel approbatarum ab Episcopo alterius Dioecesis, in quâ & animarum curam vel Confessiones exponendus est, iterum debere approbari, nec sine ejusmodi novâ approbatione ullas quarumcunque personarum seularium sacramentales Confessiones excipere posse, quod & confirmavit INNOCENTIUS Papa X. speciali eâ de re & aliis dubiis circa licitam & validam Confessionum auditionem motis editâ Sanctione, quia in alia Dioecesi sæpè diversæ consuetudines, peccatorum reservationes, alia hominum ingenia, mores, commerciaque vigent.

14. Confessarii prudentes sint ac circumspecti non solum in injungendis poenitentis (ideoque etiam pro peccato occulto poenitentiam publicam non imponant) verum etiam examinando poenitentes, præsertim circa vitia carnis, ne indiscretis interrogationibus eos doceant peccata, quæ ignorant, vel aliter scandalizent.

15.

15. Et generaliter eâ sinceritate, prudentiâ, ædificatione munere suo fungantur, quemadmodum & tanti ministerii Sanctitas postulat, & animarum salus deposcit.

16. Magna oportet esse instructum scientiâ, qui de rebus maximis ex tempore judicare debet: Ideo Confessarii quibus non hominis sed DEI Judicium exercendum est, & quidem de animabus pretioso JESU CHRISTI Sanguine redemptis, lectioni eorum librorum, unde necessariam sibi scientiam hauriant, diligentissimè vacare merito debent.

17. Confessarii dum rudiores poenitentes inveniunt, de quorum in rebus fidei & modo confitendi instructione dubitant, ante omnia fidei Catholicæ rudimentorum & Orationis Dominicæ, Salutationis Angelicæ, Symboli Apostolorum, præceptorum Decalogi & Ecclesiæ, atque peccatorum Capitalium peritiam examinent, & quos horum ignaros cognoverint, si tempus suppetat breviter vel assignato alio commodiore, instruant de rebus fidei & aliis ad salutem cognitu necessariis, de conscientie discussione, & dolore ad eam necessario, corripiant eorum ignorantiam, ut impofterum ea diligentius addiscant seriò commoneant.

18. Ut supervacanea à Confessione aliena & extranea inter confitendum, uti ante dictum est, non sunt miscenda, ita multe



multò minus à Confessario nomen complicitis vel ipsius etiam poenitentis, ejus domicilium, vel rei domesticæ status curiosè inquiratur: hæc enim affectatam curiositatem, familiaritatem aut quæstum redolent, quin hortamur poenitentes, ut tales Confessarios vel prætereant, vel deferant.

19. Caveant quoque Confessarii, ne qua commoda temporalia sibi vel suis occasione Confessionis à poenitentibus aucupentur, neque convenit ut ipsorum facultatibus administrandis se immisceant, nisi pupilli vel aliter gravati in necessitate summâ id jure posceant.

20. Extrâ necessitatè Confessiones non audiantur, nisi in Ecclesia & loco aperto, maximè si confitentes sint mulieres, quas convenit breviter expedire. Confessionalia ubique erigentur in loco commodo templi sumptibus fabricæ, ubi erecta nondum sunt, quæ confessarium à poenitente asserculo cancellato ac poenitentem à sequentibus alio asserculo disjungant, quamprimum fieri potest, à publicatione decretorum hujusmodi, sumptibus fabricarum erigantur, ut ab eo tempore nemo sine licentia ordinarii extrâ ejusmodi Confessionalia foeminarum Confessiones audire præsumat, nisi in casu necessitatis sub poena arbitraria. Surdis autem, prægnantibus aut aliqua notabili infirmitate detentis, poterit Confessarius commodum tempus eas audiendi assignare, semper

semper tamen in loco Ecclesiæ valde conspicuo, nec quisquam Sacerdos mane ante solis ortum aut vesperi post solis occasum in tenebris alterius sexûs Confessiones audiat sine lumine, ut per-versis & improbis hominibus omnis calumniandi occasio quantum fieri potest, subtrahatur. Turpe etiam & indecorum est, videre Confessionalia in angulis & locis abstrusis collocata, quare omnibus Pastoribus mandamus, ut quantocius curent hujusmodi sedes ad locum honestum, patentem & conspicuum transferendas, ut tepidi Catholici Sacrosanctum illud tribunal præ oculis semper habeant, & exemplo bonorum ad illud sæpius & fidentius frequentandum inflammentur, neque temerè Confessarii de uno loco ad alterum potissimum in majoribus festivitatis excurrant, cum id sæpè magnæ murmurationis causam multis præbeat.

21. Caveant autem Parochi & Presbyteri audientes Confessiones, ne alii confiteri volentes nimium appropinquent & confitentem aut urbent, aut facultatem illi adimant liberè professendi peccata sua, aut Confessario exactius interrogandi.

22. Judicem sedentem sententias ferre oportet, ideo etiam Confessarius non nisi sedens Confessiones excipiat, quæcunque etiam poenitentes dignitate fulgeant.

23. Confessarii in sacro illo Tribunali modestiam & gravitatem præ se ferant, sedeantque superpelliceo induti & stolâ à collo

pen-

pendente, seu alio decenti habitu Presbyterali, ac memores sint, se ibidem agere concientiarum Judices, ac Spirituales animarum medicos, Justitiæ simul & misericordiæ ministros à Deo constitutos esse, ut tanquam arbitri inter Deum & homines, non minus honori divino, quàm animarum salutis consulant, nec excedant ad dexteram vel sinistram sive indulgentiâ, sive severitate, proinde non oscitanter sed magna cum attentione, circumspessione & judicio Sacramentum hoc administrent, & cognito pœnitentium statu, congrua vitiis adhibeant remedia & pœnitentiam salutis animarum maximè convenientem imponant.

24. Ut autem Pastores & Confessarii sciant, cujusmodi satisfactiones pœnitentibus injungere debeant, maturè expendant verba Tridentini Concilii, debent ergò Sacerdotes Domini, quantum Spiritus & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum & pœnitentium facultate, salutare & convenientes satisfactiones injungere, ne si fortè peccatis conniveant, & indulgentius cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo alienorum peccatorum participes efficiantur. habeant autem præ oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantùm ad vitæ novæ custodiam & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & castigationem.

25. Cùm nihil Confessionem magis suavem & acceptam reddat,

reddat, quàm sigillum, nōrint Confessarii, id sibi strictissimè servandum esse, nec verbo, signo, num aut quovis alio modo vel minimum veniale peccatum contentis prodendum esse, sub pœna depositionis à Sacerdotali officio & detractionis in arcum Monasterium ad agendam ibidem perpetuam pœnitentiam.

## TITULUS VII.

### *De Casibus reservatis.*

#### I.

**M**agnoperè verò ad Christiani populi disciplinam & Ecclesiæ auctoritatem pertinere semper visum fuit, ut æctiora quædam & graviora crimina non à quibusvis sed summis duataxat Sacerdotibus absolverentur, unde meritò Pontifex maximus pro suprema potestate sibi in Ecclesia univèrsa tradita causas aliquot graviorum criminum suo peculiari judicio reservavit, quod idem Episcopis in sua cuique Dioecesi suprâ alios Sacerdotes inferiores auctoritate licitum esse Concil. Trid. ex definitione Canonum antiquorum rectè statuit.

2. Nemo Sacerdorum sive sæcularium, sive cujusvis Ordinis & instituti regularium etiam à Nobis seu Vicario nostro in Spiritualibus Generali ad Confessiones sæcularium personarum au-

diendas approbatorum à casibus Sedi Apostolicæ aut Nobis reservatis quæpiam extrâ mortis periculum absque speciali Apostolica seu nostrâ respectivè facultate absolvere præsumat, Sacerdos enim ad Confessiones excipiendas generatim approbatus, cum in dictis casibus non sit legitimus Judex, nullam ab iis habet absolvendi potestatem, quæ confertur per approbationem, ea enim in generali Confessione non veniunt, quæ requirunt speciale mandatum, ideoque absolutio, quam impendit, non est valida, prout sacra Congregatio Cardinalium, quæ Episcoporum ac Regularium negotiis & consultationibus præest, definiit.

3. Peccata verò & crimina reservationi summi Pontificis subiecta multa sunt, quorum præcipua in Bulla Cœnæ Domini sigillatim referuntur, ac probatis Auctoribus, qui subijciunt alios permultos desumptos ex corpore juris communis & diversorum Pontificum constitutionibus. In quibus tamen casibus Sedi Apostolicæ reservatis, si occulti sint, Nos & Vicarius noster, ut absolvere & dispensare possimus, Concilium Tridentinum statuit. Sciant enim Confessarii Sedi Apostolicæ inter cætera esse reservata: Vota Castitatis perpetuæ, Religionis approbatæ & Peregrinationis Romanæ, Hierosolymitanæ & Compostellanæ, quoad reliqua verò vota, & Excommunicationes quorum permutatio sive absolutio nonnullis forè Apostolico Privilegio aut delegatione permittitur, caveant ne temerè sese hiscè immisceant, & per-

mutan-

mutando vota vel ab iis absolvendo suam excedant potestatem.

4. Pastores & Confessarii à casibus nobis reservatis neminem absolvant, nisi aut in periculo mortis aut habitâ licentiâ. Casus autem, quos Nobis reservamus, sunt sequentes.

1. Crimen incendiarii.
2. Sacrilega Calicum ac Monstrantiarum ex Ecclesia surreptio.
3. Homicidium & Infanticidium tam prolis natæ quàm foetus animati.
4. Incestus in primo gradu & congressus cum Moniali.
5. Sodomia & cum brutis Congressio.
6. Destoratio violenta Viginum & earundem Raptus.
7. Omne explicium cum Dæmone pactum & grave per veneficium illatum damnum.
8. Peccatum complicitis in materia venerea.

## TITULUS. VIII.

### *De extremâ Unctione.*

#### I.

**E**cclēsia Catholica contrâ omnium temporum hæreticos ab ipsis Apostolorum temporibus palàm semper ex D. Jacobi Apostoli Sententiâ affirmavit & docendum tradidit, extremam Unctionem Sa-

Ecc 2

cramen-

cramentum esse verè ac propriè dictum, quo migraturis ex hac vitâ Oleo salutis & fidei Oratione augetur robur contra hostes invisibiles in isto momento (ex quo dependet æternitas) fortius impugnantes & calcaneo ac fini vitæ insidiantes; ac dein gratia confertur remissionis reliquiarum peccatorum ad salutem corporis & animæ. Ideoque invigilent Pastores si ex suis infirmari aliquem graviter intelligant, & mortis periculum subesse existiment, ne fortè negligentia aut malignitate Domesticorum aut aliorum Unctionis Sacramentum impediatur, aut æquo justius differatur, quin potius ultrò ex charitate & officii sui ratione sese offerant, oculosque suos invident, moneantque infirmum de cura salutis suæ habendâ, frequentique visitatione ad mortem disponant, ac, quatenus per occupationes licet, morituris Consilio, solatio, & auxilio adesse studeant, aut saltem curent, ut aliquis alius Sacerdos aut Religiosus advocetur, qui luctantem cum morte adjuvet, habeantque Pastores in hanc rem assiduos sibi libellos quosdam pios, qui de ratione bonè juvandi morientes à piis & doctis viris sunt compositi, sciantque Pastores hujusmodi Charitatis officii præter meritum apud Deum plurimum sibi subditorum animos conciliari, sicut scriptum est, non te pigeat visitare infirmum; ex his enim in dilectione firmaberis.

2. Parochi ægros sæpè invisant, hortenturque ne ad extremum Sacramenti hujus susceptionem differant, sed potius sensi-

bus

bus rationisque usu adhuc integris illud sibi administrari petant, ita ut uberiores ejus fructum percipiant.

3. Quinquam deceat, idque curandum sit, ut infirmo, dum rationis capax est, extrema Unctio detur, atamen negari non debet morituris, si vel paulò ante in amentiam aut phrenesin inciderint, vel etiam diuturno tempore usu rationis privati extiterint, modò ante statum amentie hoc Sacramentum petiverint, aut interpretativè desideraverint, Christianè nimirum vivendo & salutis suæ memores, quod etiam præsumendum est, nisi contrarium appareat, si verò tanta sit phrenesis, ut infirmus aliquid contra Sacramenti Reverentiam facere possit, eo casu non ungetur, nisi sublato tali periculo.

4. Falluntur qui existimant, suscepto hoc Sacramento vel testamentum condi non posse, vel spem convalescendi ob id imminui, ideoque Pastores contrarium subinde doceant. Eximenda quoque est illa persuasio erronea & perniciofa ex mentibus hominum, quæ sibi immaginantur sese, si inungantur, citius morituros, ut propterea ad extremum vitæ halitum hoc Sacramentum differant.

5. Dum sacrum Oleum infirmorum ad ægros defertur, Custos superpelliceo induus lumen præferat, non tamen nolam sonantem.

6.

6. Sacerdos administraturus hoc Sacramentum, quocunque anni etiam Adventus, Quadragesimæ & majoris Hebdomadæ die, sit superpelliceo cum stola violacea, sacrum Oleum infirmorum in honesto & decenter ornato vasculo cum debita Reverentia ad ægrotum deferat comitantibus infirmi amicis & vicinis, inter eundem & redeundum à fabulis omnes ablineant, fundendis pro salute infirmi precibus intenti.

7. Si ægrotus, dum sacro Oleo ungitur, extremum Spiritum emiserit, Parochus ungere desistat, si verò aliqua morbi vis de repente illum oppressisset, ut dubitetur, vivusne sit an mortuus, Parochus eâ conditione inungendo utatur: Si es vivus, per istam sanctam Unctionem &c.

## TITULUS IX.

### *De Ordine.*

#### I.

**O**rdinum Collatio seu manuum impositio, eum ostium sit ad Ecclesiarum gubernacula & ministeria exercenda, omni certè diligentia illud observandum est, quod hactenus diligenter curatum non fuisse, multis in partibus orbis Christiani lugemus, hinc enim tanta mala uno quasi impetu in Ecclesiam inundarunt, eamque miserè afflixerunt, ut attentiosem posthac curam Episcopalem

palem meritò requirant, ne quod D. Apostolus Paulus discipulo suo Timotheo præscribit, id cum magno Ecclesiæ exitio contemnatur: Manus citò nemini imposueris neque communicaveris peccatis alienis; qui etiam hujusmodi custodiæ formulam quandam charissimis suis discipulis ex professo præscribit, quam nos sequentes circa ordinandos, & eorum ingressum subjunctas conditiones observandas ex Conciliis & Canonibus depromptas præscribimus.

2. De qualitatibus eorum qui ad sacros Ordines promovendi sunt, accuratè statuit Concilium Tridentinum, de quibus hæc Synodus quædam diligentioris observationis causâ repetenda duxit & statuenda.

3. Nullus ad minores ordines deinceps admittatur sine testimonio probitatis & literaturæ à proprio Parocho & Magistro scholæ, in qua studuit; Majoribus insigniendi, si sint Religiosi, à Superiore suo ætatis, natalium ac vitæ morumque probitatis debita testimonia in scriptis adferant; sæculares, si in Ecclesia Collegiata eive subjectâ resideant, à Decano Capituli, si in studio Theologico degant, ab illius Præside, alioqui à proprio Pastore similia testimonia exhibeant, & non habens hujusmodi testimonia ne ad Examen quidem admittatur, nisi Episcopo aliter videatur.

4. Promovendi itaque ad sacros Ordines tam minores quàm  
majo-

majores, ut & primam tonsuram, horâ primâ pomeridianâ feriâ quartâ septimanæ, quâ ordinandi sunt, in cancellaria nostrâ Paderbornæ, nisi forsan ex causis incidentibus alius designetur locus, convenient, productisque necessariis testimoniis legitimæ nativitatis, baptismi, Confirmationis, ante actæ vitæ, studiorum, provisionis, ætatis, susceptorum Ordinum, eorundemque facti Exercitii nomina sua inscribi curent, feriâ quintâ horâ primâ post meridiem de sufficiente doctrinâ examinandi à deputatis nostris Examinatoribus.

5. Doceant Religiosi etiam Ordinum mendicantium de Ordinibus susceptis, testimonio ipsius Episcopi sigillo ejusdem communito, antequam alioquem Ordinem suscipiant.

6. Ne quis fortè à susceptione Ordinis Sacerdotii à nobis rejectus ad Confusionem apud suos evitandam ministerium Sacerdotale, quod non accepit, sacrilegâ temeritate usurpare attentet; mandamus, ut nemo primitias celebrare permittatur, antequam superiori Ecclesiastico sæculari, vel regulari ejus loci, ubi primitias celebrare intendit, litteras suscepti Sacerdotii exhibuerit.

7. Ordinati quoque Sacerdotes intrâ quadraginta dies juxta antiquam consuetudinem primitias celebrent.

8. Quæ de Examine ordinandorum ac præcipuè ad curam animarum ex Concilio Tridentino salubriter sunt statuta, debite

obser-

observari volumus, ac propterea diligenter nostro Vicario & Examinatoribus commendamus, ne quenquam ad curam animarum exercendam admittant, nisi quem ætate, moribus, & doctrinâ, prudentiâ, & aliis rebus ad vacantem Ecclesiam gubernandam opportunis idoneum judicaverint. Similiter strictè prohibemus ne quispiam in Pastorales functiones sese ingerat, nisi prævio Examine & approbatione licentiam à nobis aut nostro Vicario in scriptis obtinuerit. Nolumus etiam posthac cujuscunque status ad Ordines & beneficia maximè curata sine hujusmodi Examine admitti, provisiones autem, Collationes, Institutiones, Investituras aliter factas nullius roboris declarantes.

## TITULUS X.

### *De Matrimonio & Sponsalibus.*

#### I.

Quotidiana docet experientia, matrimonia temerè & præpropere contracta infinitas parere difficultates & infelices sæpè exitus sortiri, proinde rectè ordinatum est, ut sponsalia quæ futuri matrimonii promissionem & reciprocam utriusque obligationem continent, præmittantur, cum verò sponsalia de futuro à Sacro Concilio Tridentino sint intacta, atque ita relicta in terminis & dispositione juris communis, præterquam quod per copulam car-

Fff

nalem

nalem non transeant in matrimonium, certum est ea esse valida, & servari debere, etiam si coram Parocho & testibus contracta non fuerint, & cum multi perperam aliter sentiant, error ille à Concionatoribus & Confessariis datâ opportunitate iis eximatur.

2. Sponsalia de futuro, tametsi valida sint, quamvis coram proprio Parocho contracta non fuerint, nihil ominustamen ad evitandas multas difficultates ea præsentis Parocho proprio fieri præcipimus

3. Ebris & intempestivâ nocte aut in tabernis contrahere Sponsalia volentibus operam suam Pastor non impendat.

4. Curet etiam Parochus seu Viceparochus, ut parentum quoque consensus sponsalibus accedat, qui, si iisdem justis ex causis oblectentur, non temerè procedat, sed liberos moneat, ne invitis & insciis vel tutoribus, vel Amicis sponsalia seu matrimonium inire, ne hac in re tanti momenti quidquam impetu præcipiti ducti, quod honestati repugnet, audeant inchoare, sed illorum consilio aut auctoritate moti, præviâ maturâ deliberatione ineant conjugia & mala, quæ offensos parentes & inimicos commitari & sequi solent sæpè maxima, evitent. Admoneant etiam ex altera parte parentes, tutores & amicos, ne ipsi austeritate nimia liberorum vel sibi commissorum ætatis maturæ tardius æquo differant connubia, ne vel incontinentiæ, vel fugæ,  
vel

vel fatuitatis seu manie, quæ subinde ex magnis amoribus nasci consuevit, vel inconsultæ rei aggrediendæ poenitentiam præbeant iis occasionem.

5. Priusquam sponsalia contrahantur: Pastor seu Vicepastor seorsim inquiret:

I. An despondendi sint orthodoxi, noverintque Romano-Catholicæ fidei rudimenta.

II. An ullius sibi conscii sint impedimenti Canonici, quod contrahendum inter se matrimonium possit impedire.

III. Nomina, cognomina, statum, parentes, patriam & conditionem utriusque.

IV. An liberè & non coactè contrahant? & ætatem legitimam habeant? quod si in horum aliquo deficere despondendos advertat, oportunitatis remedia Pastor seu Vicepastor adhibere non omitat, nimirum:

1. *Ut doctrinæ Christianæ rudimenta prorsus ignorantes saltem Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apostolorum, decem præcepta Decalogi, & quinque præcepta Ecclesiæ ante addiscant, quàm matrimonio jungantur, cum ea deinde liberos suos docere debeant.*

2. *Impedimenta, si possunt, amoveant, aut si dirimentia sint, maturè à Consilio matrimonii cogitati desistant.*

6. Pro majori autem securitate & desponsorum corrigendâ levitate atque inconstantia mandamus Parochis seu Viceparochis omnibus, ne patiantur illos, qui in legitima ad matrimonium ineundum ætate constituti sponsalia contraxerunt, ejusmodi promissioni de futuro matrimonio factæ propriâ suâ Auctoritate ac voluntate renunciare, & se mutuo absolvere, sed illos ad Nos vel nostrum in Spiritualibus Vicarium Generalem remittant, nisi ad forum contentiosum res deducta fuerit; ut causâ discussâ, si ea secundum juris dispositionem justa appareat, ab ejusmodi promissione liberentur.

7. Grave est peccatum, quod post contracta sponsalia desponsi carnaliter se cognoscant, antequam matrimonium per verba de præsentî coram Parocho & testibus contractum sit. Ideoque Parochi sponsalia coram se contrahentes admoneant, ut ad periculum incontinentiæ aliæque inconvenientiæ evitanda, intra sex septimanas post factas proclamationes, si Canonicum impedimentum denunciatum non fuerit, ad matrimonii solemnisationem procedant, utque ante Sacerdotalem benedictionem in templo suscipiendam in eâdem domo non cohabitent, id quod & nos sub arbitrariâ pœna vetamus.

8. Ne patiatur ullus Parochus seu Viceparochus quempiam cujusvis statûs, gradûs & conditionis hominem, qui sibi ignotus

in

in suam Parochiam ex aliena Diœcesi commigrat cum muliere, quam secum uxoris nomine duxerit, in ea habitare, nisi satis idoneis testimoniis probaverit se illi legitimo connubio esse copulatum.

9. Cùm Concilium Tridentinum matrimonia clandestina annullat, & omnes inhabilet ad contrahendum aliter, quàm secundum formam ab eodem Concilio descriptam; ex ordinatione ejusdem concilii mandamus Pastoribus, ut sæpius populo in suis concionibus hanc matrimonii nullitatem & personarum inhabilitatem in memoriam revocent. Decretum sacri Concilii Tridentini irritans & annullans matrimonia, quæ aliter quàm præsentè Parocho vel alio Sacerdote de ipsius Parochi seu Ordinarii licentiâ & duobus vel tribus testibus contrahuntur, in omnibus & singulis Ecclesiis Parochialibus totius Diœcesis iterum publicetur. Monemus etiam omnes Parochos ut quæ ex Concilio Tridentino de contractu sponsaliorum ac Sacramento Matrimonii, de trinis proclamationibus & denunciationibus, assistentiâ proprii Parochi ac testium, præparatione contrahentium &c. speciali mandato per Nos inculcata sunt, ut quàm diligentissimè observentur & bis in anno populo proponantur.

10. Sæpè declaratum est, & ex abundantî rursus declaramus, irritum planè ac nullum esse matrimonium, quod contra-

hitur



hitur coram Parocho quidem loci sed neutrius contrahentium.

11. Quandocumque matrimonium contrahere volentes sunt diversarum Dioecesum vel Parochiarum, Parochus unius ad matrimonii solemnisationem non procedat, nisi & omnes proclamationes in Ecclesia sua fecerit, nullumque intellexerit Canonicum impedimentum, & similiter Parochum alterius desponsorum, omnes tres proclamationes fecisse & nullum Canonicum impedimentum denunciatum esse ex testimonio ejusdem Pastoris certo cognorit, vel de dispensatione Ordinarii ipsi constiterit.

12. Cum decreti Tridentini verbis exprimat & assignetur matrimonii contrahendis proprius Parochus aut Episcopus loci Ordinarius, & dubium oriri possit, quis vulgò eo nomine intelligatur, declaratur proprius Parochus, qui contrahendis & benedicendis matrimoniis assistere debet, is esse, in cujus Parochiâ uterque seu alteruter sponsorum sive vir, sive femina animo ibidem perpetuò manendi, non verò ad propria revertendi, vel aliò commigrandi, nisi quid avocet, domicilium fixit.

13. Si quis autem Parochus vel alius Sacerdos qualiscunque sive sæcularis, sive regularis existat, qui etiam cujuscunque Tituli aut Privilegii vel immemorialis consuetudinis prætextu id sibi licere contendat, alios quàm suos Parochianos matrimonio conjunxerit absque nostrâ nostrivè Vicarii in Spiritualibus Generalis

ralis vel alterius contrahentis Parochi consensu in scriptis obtento, præter pœnam tùm excommunicationis à Concilio Viennensi specificatim contra Regulares ab eadem per Sedem Apostolicam duntaxat absolvendas, tùm & suspensionis generatim contra ejusmodi transgressores omnes omninò ipso jure à sacro Concilio Tridentino infictam (ut Spirituales hujusmodi pœnæ, quæ passim contenti solent, eo sint efficaciores magisque formidentur) etiam multam pecuniariam aliamque pro ratione culpæ & offendiculi arbitrariam graviolem ipso factu incurrat.

14. Proclamationes matrimoniales tribus distinctis Dominicis vel festivis diebus summo sub Sacro vel Concione fieri debent.

15. Si quis sine proclamationibus earumve remissione ab Ordinario in scriptis obtentâ matrimonio jungere aliquos præsumat, graviter punietur.

16. Impedimento aliquo denunciato vel matrimonio desponsorum oppositione aliquâ facta, non prius ad ulteriores proclamationes aut matrimonii solemnisationem Parochus procedat, quàm re ad Nos vel Vicarium nostrum delata intellexerit, quid facere debeat.

17. Ut quoque multis periculis, quæ ex hominum malitiâ & fraude provenire possunt in matrimoniis contrahendis, occurratur; inhibet Synodus omnibus Pastoribus eorumque vicem generalis

entibus sub pœna suspensionis à divinis, ne quem alterius Reionis aut vagum & ignotum ad matrimonium admittant sine licentia Episcopi in scriptis obtenta, quæ licentia non dabitur nisi iussu cognitione & prævia matura deliberatione. Similiter ordinamus, ut absentem (de cuius morte non certò constat) alter conjugum non solum per septennium sed etiam ulterius ad arbitrium iudicis expectare, nec prius ad alias nuptias transire debeat, uam causa coram Nobis aut nostro Vicario cognita, & licentia contrahendi in scriptis obtenta fuerit.

18. Laudabilis est hujus Nostræ Diœcesis consuetudo, quod matrimonia & in Ecclesia quæ Sacramentorum proprius locus est, inter Missarum solemnias contrahantur. Quare cum sacrum Concilium Tridentinum ejusmodi consuetudines retineri vehementer optet, præcipimus ne quis ei contravenire audeat.

19. Quia coactæ nuptiæ tristem plerumque & luctuosum habent exitum, diligenter inquirent Pastores, an matrimonium contracturi sponte & animo deliberato non vi aut metu parentum, amicorum aut aliorum coacti ad matrimonium procedant, quod inveniunt aliquem vel aliquam ex contrahentibus, coactum ad contrahendum, nullo modo ad conjunctionem eorum procedere audeant, neque alteri vices suas committant, sub pœna suspensionis ab officio & beneficio.

20.

20. Graviter monet Concilium Tridentinum (quod nos etiam seriè observari mandamus) ut antequam contrahant conjuges, vel saltem triduo ante matrimonii consumationem peccata sua diligenter confiteantur, & ad Sacratissimum Eucharistiæ Sacramentum reverenter accedant ad majorem Dei gratiam & felicem eventum impetrandum, cujus rei curam Nos Parochis seriè commendamus.

21. Quæ ad dignoscenda matrimonii impedimenta gradusque affinitatis & cognationis naturalis, spiritalis & legalis item Justitiæ, publicæ honestatis rationem ac reliqua obstacula matrimonium impediencia aut dirimentia pertinent, Parochi diligenti lectione addiscant, & subinde in Concionibus suis ea populo declarent.

22. Habeant quoque singuli Pastores librum, in quo describant nomina & cognomina matrimonio junctorum ac testium nec non diem & locum contracti matrimonii, eundemque librum diligenter custodiant, & quot annis in visitatione exhibeant: Qui quidem liber ubi jam completus fuerit, servabitur in Archivo Ecclesiæ.

23. Tempus clausum à Concilio Tridentino restrictum proinde diligentis observetur. Si tamen ex legitima & urgente causâ aliqui per Ordinarium ad matrimonium illo tempore contrahendum admittantur, abstineatur à solemnitate nuptialis convivii, à Choreis & similibus insolentis, quæ temporis non congruunt,

Ggg

à

à quibus similiter abstinendum erit, etsi matrimonium antea contractum fuerit sub pœna arbitraria.

24. Propter evidens animarum periculum Pastores & verbi Dei Præcones sæpius in Concionibus significant, Ecclesiæ Catholice prohibitionem esse, ne fideles cum hæreticis matrimonia ineant ejusque impedimenti rationem habeant singularem.

25. Volumus autem tam in matrimonio contrahendo quàm in conviviiis nuptialibus omnem honestatem observari, & omnia vana, ludicra & ridicula & alia prodigalitatæ & lascivie ostentamenta (quæ sub prætextu nuptialis lætitiæ exorbitanter nimis & scandalosè interdum committuntur) removeri, non enim decet sanctorum filios conjungi sicut gentes, quæ Deum ignorant.

PARS

## PARS TERTIA.

DE

STATU CLERICORUM ET DE HIS, QUÆ HIS  
ANNECTUNTUR.

### TITULUS I.

*De Prælatiis Dignitatibus, Archidiaconis & Canonicis Cathedralis & Collegiatarum Ecclesiarum.*

I.

**E**cclésiasticæ disciplinæ retinendæ & conservandæ causâ Ecclesiarum Dignitates sunt constitutæ, quibus etiam pro merito laborum & amplioris curæ majora stipendia sunt assignata, quæ rectè usurpabunt, si labore, Ministerio atque industriâ respondeant ac divinum cultum promovere, Ecclesiasticam disciplinam conservare, ac Nos operâ & officio juvare studeant.

2. Præpositi tanquam præcipui Ecclesiarum Prælati illud diligenter curent, ut res, bona, jura, & Privilegia Ecclesiarum suarum defendant, ob omni injuriâ, damno & molestia vindicent ac conservent, eaque provideant ac procurent, quæ ad Ecclesiarum (à quibus dignitates & majora stipendia percipiunt) defensionem, pacem & tranquillitatem spectant.

3. Decani ob annexam eorum officio curam animarum à Nobis Confirmationem impetrare tenebuntur, cumque ipsis singulariter ex officio illa commendata esse debeant, quæ circa Ministeria Ecclesie & Ecclesiasticarum personarum vitam, Chori ac Capituli disciplinam, excessus, ac correctionem desiderantur, hinc merito ab illis requirimus, ut omnia quæ ad honestatem & vitam bonam omnium Canonicorum, Vicariorum, Clericorum ac Ministerialium Ecclesie suæ pertinent, diligenter ab omnibus observari curent.

4. Qui præter Decanos, dignitates & officia in Cathedrali & Collegiatis Ecclesiis obtineant, diligenter curent ut suis officiis secundum Canones & cujusque Ecclesie laudabiles consuetudines satisfaciant.

5. Archidiaconi cum functionibus & officio nobis conjuncti ac in partem sollicitudinis nostræ Episcopalis vocati, adeoque à Canonibus oculi Episcopi, ejusque Vicarii aliquando vocentur, quod Episcopi Ministri sint, & ea omnia quæ exercent ad Episcopum pertineant; hinc illos in Domino monemus, ut strenuè Nos adjuvent, recteque suo officio fungantur, prout Tridentinum *Seff. 24. de Reformatione c. 3.* illis præscribit.

6. Si quæ præbendæ Canonicales certum habeant annexum Ordinem, illud Possessores curare debent, ut Ordinem illum suscipiant

cipiant & oneri annexo satisfaciant, neque onus in alios rejiciant, nisi approbatis foundationibus aliter sit constitutum.

## TITULUS II.

### *De Pastoribus Vicepastoribus & Sacellanis.*

#### I.

EX sacra Scriptura discimus à cura vel incuriâ Pastorum & Vicepastorum sæpè subditorum pendere salutem vel damnationem; idcirco maximopere providendum est, ut in oculis Dei & re ipsâ hoc esse inveniantur, quod humano dicuntur ore, omnesque quotquot in hac nostra Diocesi tam ruri quàm in Urbibus hisce nominibus censentur, verè digni sint atque idonei, quibus cura salutis animarum tuto credatur, & si forma facti gregis non ex composito vel ad solam speciem externam, sed ex animo eundem non minus honestæ probæque vitæ exemplo, quàm oblato Sacrificio pabuloque sanæ doctrinæ & Sacramentorum pascant & in viam salutis æternæ dirigant.

2. Vacantibus igitur Ecclesiis Parochialibus volumus, ut; quam fieri potest citissimè, de idoneis in concursu approbatis Pastoribus provideatur, illique mox instituantur, cumque ex dilata vel suspensâ Parochialis Ecclesie collatione, provisione seu presentatione

tione & institutione salus populi periclitetur, quæcunque in Concilii Tridentini decretis & PII V. Constitutionibus statuta, decreta & ordinata sunt, observari volumus, declarantes, omnes & singulos quibus jus conferendi, providendi, presentandi, & instituendi competit, ad collationem, provisionem, presentationem, & institutionem intra tempus ibidem præfixum faciendam teneri, & obligatos esse.

3. Cum non solum Pastoribus sed etiam eorum Sacellanis aliisque in Pastoralis munere adiutoribus ob populi frequentiam vel Parochiæ latitudinem vel aliam legitimam causam in subsidium ad functiones Pastorales exercendas assumptis cura animarum incumbat, nullus Pastorum Civitatis seu Diocesis nostræ cuiusquam Sacellani, vel adiutoris operâ in Pastoralis sua functione vel ad Confessiones Sacramentales, brevissimo etiam tempore excipiendas utatur, qui præter testimoniales legitime Ordinationis suæ literas scripto non docuerit, se sufficienti Examine pro tanto munere ritè obeundo repertum fuisse idoneum.

4. Curati & Vicecurati, omnesque alii quibus animarum cura commissâ est, non possunt neque debent oves suas etiam metu periculi vel pestis deserere, vel aliorum negotiorum causa aliò discedere, nisi Christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia aut evidens Ecclesiæ utilitas eos abesse postulaverit.

5.

5. Quod si iusta de causa abesse debeant à sua Parochia, ultrâ tres quatuorve dies feriatos non abint, quod tempus si prorogandum sit, ab Archidiacono licentiam flagitent, quam illi non nisi ad duas vel tres hebdomadas extendant, diurniorem verò à Nobis nostrave in spiritualibus Vicario Generali postulare & scripto obtinere teneantur, ac tam quidem & quocumque & quamdiu ipsos abesse contigerit, alteri Sacerdoti Auctoritate nostra ad hoc approbato curam ovium suarum cum debita mercedis & fructuum portionis assignatione fideliter committant, idque sub pœnis privationis omnium fructuum & emolumentorum aliisque gravioribus, tam ex Tridentini Concilii præscripto quam arbitrio nostro insigendis.

6. Volumus insuper, ut Curatis & Vicecuratis juxta eisdem Concilii decretum singulis annis ultrâ bimestre sive continuum sive interruptum abesse non indulgeatur, neque Diebus solemnioribus Nativitatis & Resurrectionis Dominicæ, Pentecostes, Corporis Christi, Dedicationis & Patronorum Ecclesiæ: Dominicis item Adventûs & Quadragesimæ, quando maximè oves refici & Pastoris presentia in Domino gaudere debent, concedatur.

7. Si quis verò ultrâ bimestre abfuerit, noverit se peccati reatum incurrisse & pro rata temporis absentiæ fructus non favore suos, nec tuta conscientia (alia etiam declaratione non se  
cua

cuta posse retinere, sed fabricæ Ecclesiæ aut pauperibus loci erogare teneri, nisi ex gravi causa per nos cognita & probata diutius emanendi licentiam in scripto sese obtinuisse ostendat.

8. Eodem decreto Sacellanos, qui Pastores in suis functionibus adjuvant, comprehendi eosque nec ad unum diem, nisi Pastore præmonito & consentiente, abesse volumus.

9. Pastor seu Vicepastor seu quisvis alius Sacerdos Auctoritate nostra approbatus peste, vel alio contagioso morbo laborantium Confessiones auditurus, ante omnia (si fieri possit) provideat, ut in loco patenti & aëre non infecto sit constitutus, adeoque infirmi si absque gravi eorundem incommodo fieri queat, vel cubiculum aut domum ad confitendum egrediantur, vel saltem ad fenestram Parocho foris exspectante sese deferri procurent; proderit etiam pestis tempore pro Concione monere fideles, ut qui sani sunt, ad sacram Confessionem in Ecclesia peragendam mature accedant.

10. Sciant etiam Pastores, Curati & Rectores Ecclesiarum cum ipsi Ecclesiæ aut populi Dei curam habere debeant, primam domui suæ bene præesse studeant, ut nihil in ea sit, quod non pietatem, Dei zelum, frugalitatem & omnem honestatem sapiat.

11. Deinde frequenter domos Parochiæ suæ obeant, ac perlustrent, ægrotos visitant, pauperum, viduarum & pupillorum

&

& aliarum miserabilium personarum curam in se suscipiant, iras & inimicitias suorum Parochianorum componant, publica blasphemiarum, adulterii, concubinatûs, fornicationis, usurarum & similia scandalosa crimina, quæ ad cognitionem & correctionem Ecclesiæ pertinent, seria gravique commotione atque interpositione corrigere studeant, & ubi monitione sua non profecerint, Nos & Officiales nostros ad coercendos & puniendos pertinaces implorent.

12. Conciones statim festis ac Dominicis diebus diligenter habeant, festos dies & Ieiunia & quæ aliâs publicè denuncianda sunt, populo diligenter post Concionem significant.

13. Missas frequenter ac devotè celebrent habita præcipua ratione foundationum & piarum consuetudinum, populumque moneant, ut iis religiosè intersit.

14. Funebria iusta piè ac fideliter persolvant, & si quæ in conviviis funebribus superstitè ac immodicè fieri hætenus animadvertant, illa tollere studeant aut denuncient.

15. Ecclesiam & quæ ad eius cultum & nitorem pertinent, diligenter curent, & si quid reparandum aut faciendum, illud tempestivè provideant.

16. Reliquias Sanctorum, vestes sacras, libros, calices, patenas, corporalia & reliqua ejus generis Ecclesiastica Instrumenta & Ornamenta ad Altaris Ministerium pertinentia sollicitè procurant, observent, & custodiant.

Hhh

17.

17. A nimia Laicorum familiaritate caveant, magis verò à conviviis, tabernis, comotationibus & à fordibus ac avaritiæ notâ, quæ vilipendium generant.

18 Pastores quoque ab omnibus ad suas Parochias commigrantibus super vita & fide illorum litteras testimoniales ultimi ipsorum Pastoris requirant.

19. Pastores & Vicepastores aut eorum Vicarii summum Sacrum Dominicis & festis diebus in Ecclesia decantandum populum spirituali tum corporali saluti potissimum applicent, quos etiam singulis vel alternis, non festivis diebus pro sua sibi que commissorum salute divinum Missæ sacrificium immolare, atque ad hoc ab Archidiaconis excitari optamus, ut indies sibi creditoque gregi in spiritualibus & temporalibus favorem cœlestem cumulent auctiorem.

20. Fraternalis postulat charitas ut quos in vita laborum habuimus socios, & participes, post mortem Christianæ pietatis officio prosequamur, idcirco omnes Pastores & Vicepastores hortamur, ut mortuis suis Confratribus Pastoribus seu Vicepastoribus, quamprimùm ipsis de obitu constiterit, sanctissimo Missæ sacrificio animabus eorum subveniant.

21. Dolenter intelleximus nonnullos Ecclesiasticos & Pastores adeo sui subinde esse oblitos, ut veste etiam Clericali exurâ per  
agros

agros discurrere, currus fimo onerare, vehere, agriculturam exercere, aliisque fervilibus operibus avaritiæ aut quæstus gratiâ vacare, quin & intrâ domesticos parietes tam viliter se gerere non erubescant, ut secularibus & aliis sint offendiculo: Quibus præcipimus ut gravitatis, quæ Sacerdotes decet, memores, ab his omnibus sub poena suspensionis ob officio & beneficio, aliæque graviore pœnâ arbitraria sibi temperent, non tamen prohibere intendimus, quo minus debito tempore & loco honestâ corporis exercitatione otium devitent.

22. Sacerdotes, maximè, quibus animarum cura incumbit, memores Sacrorum Canonum ad aleas & taxillos non ludant, nec hujusmodi aus aliis vetitis ludis intersint, sed tempus illud colloquio potius & lectione sacrorum librorum & historiarum transigant.

23. Denique cùm multa quæ in variis Titulis hujus nostræ Synodi, de Officio divino, administratione Sacramentorum, matrimonialibus denuntiationibus, ornatu & curâ templorum, de peregrinis vagis & ignotis Clericis ad celebrationem & administrationem Sacramentorum sine nostra vel Vicarii nostri licentiâ non admitendis, sicut etiam de libris baptismali, matrimoniali & descriptorio familiarum & similibus hinc inde constituta sunt & definita, Parochos eorumque curam & officium concernunt,

volumus & serió iis præcipimus, ut ea omnia ipsimet integrè præsentent & observari faciant & procurent.

### TITULUS III.

#### *De vitâ & honestate Clericorum.*

##### I.

Nihil ferè est, quod hoc sæculo tam sit exoptandum, quam ut ii, qui in sortem Dei vocati divina munera dispensant, ac ministeriis Ecclesiasticis præficiuntur, vitâ & exemplo id præsentent, quod professione, statim ac vocatione suâ promittunt, ut, qui in eos tanquam in speculum oculos suos conjiciunt, Laici invenire possint quod dignè imitentur. Hoc enim omnibus fere sæculis compertum fuit, pro Sacerdotum vitâ benedictionem aut maledictionem à Deo in populum procedere, nec quicquam gravius Ecclesiæ aut Reipublicæ accidere, aut illam vehementius affligere, quam si à Clericis Laici bonæ vitæ incitamenta & exempla petere non possint, quod gravissimè olim deploravit S. Gregorius, & nos ipsius verbis repetimus: Nullum puto fratres charissimi ab aliis majus Præjudicium, quam à Sacerdotibus tolerat Deus, quando eos, quos ad aliorum correctionem posuit, dare de se exempla pravitatis cernit: Quando ipsi peccamus, qui compescere peccata debuimus, nulla animarum lucra quærimus, ad  
nostra

nostra quotidie studia vacamus, terrena concupiscimus, humanam gloriam intentâ mente captamus & quia eo ipso quo cæteris prælati sumus, ad agenda quælibet majorem licentiam habemus; susceptæ benedictionis ministerium vertimus ad ambitionis augmentum, Dei causas reliquimus, ad terrena negotia vacamus; locum sanctitatis accipimus, & terrenis actibus implicamur.

2. Hinc Nos serió ac sub obtestatione divini Judicii monemus omnes & singulos, ut quo sunt in Ecclesia Dei digniore loco & Ordine, eò vitam gerant inculpatiorem, statumque suam vitæ innocentiam ac morum gravitate diligentius exornent.

3. Cùm vero summa disciplinæ Christianæ in eo consistat, ut abnegantes impietatem & sæcularia desideria sobriè, piè, justè, vivamus in hoc sæculo, idque ad omnes universim Christianos pertineat, intelligunt facile Ecclesiastici, qui cæteris in exemplum positi sunt, quid ad ipsos spectet, quâ illos morum gravitate infirmone, gestu, incessu, quâ in cultu & vestitu corporis moderatione & decentiâ, quâ vitæ sanctioris innocentia illos cæteris præstare oporteat. De quibus cum multa sparsim per sacros Canones, Concilium Tridentinum, Statuta Provincialia & Constitutiones Synodales tradita sint, nos breviter hoc loco quædam repetenda duximus.



4. Omnes Clerici, potissimum qui Ecclesiastico funguntur Ministerio, aut Ecclesie bonis sustentantur, ut verè Clerici sint & pecculari quadam ratione Dominum possidere & à Domino possessi videantur, terrenis cupiditatibus & voluptatibus non indulgeant. Hujus eos admonet Clericalis tonsura, Regale Decus Christi Regis nostri nostræque militiæ insignes, idcirco omnes & singuli Ordini & gradui suo convenientem gerant coronam, eamque sepius faciant renovari, habitumque honestum statui suo congruentem gestent.

5. Veste omnes utantur honesta ac decente, ut in materia, forma, colore, pretio ac omni modo respondeat tum modestiæ ac dignitati Clericali tum conditioni ac statui singulorum, in quo uti vanitatem & affectatam mundi curiositatem, novas levitates ac nitorem, sic abjectionem & nimias fordes exclusas volumus. In omni vestitu præsertim externo color tantum niger adhibeatur.

6. Clerici sacris initiati aut beneficiati, omnino abstineant ob omni venatione clamosa, nec armati, nisi ob iterum pericula incedant, coram Judice seculari, Advocati, Procuratoris, Notarii seu Tabellionis Officio non fungantur, nec causas præter proprias vel Ecclesie suæ agant, nisi necessitas propinquarum vel miserabilium personarum eorundem patrocinium exigat, artem quoque Chirurgicam vel medicam non exercent, neque

pro-

profana Officia, nisi in casibus à jure permissis, Judicio Sanguinis aut Executioni sententiæ Capitalis, nisi Officii Spiritualis causa, non inierint.

7. Familiam honestam alant, non infames, non suspectas aliave turpi nota laborantes personas domi suæ detineant. Intempetiva convivia, longiores accubationes, ad æquales haustus provocationes, pomeridiana Symposia & consortium quorumvis intemperantium & malè moratorum studiosè declinent, concessisque sibi à deo donis sobriè & frugaliter utantur.

8. Cuponas Ecclesiastici maximè verò beneficia curata obtinentes seu tabernas potatorias sub quocunque prætextu, nisi in itinere constituti, aut id ipsum cura animarum exigat, non ingrediantur ac frequentent.

9. Si quando sacrararum primitiarum occasione sūt alià honestà ex causa Sacerdotes aliive è Clero convivia instituant, diligentem habeant statûs vocationisve suæ rationem: sit mensa frugalis & brevis sanctis ac modestis condita Colloquiis, à temulentia & turpitudine verborum gestuumque quam alienissima, ludicra nulla, nullæ saltationes, Choreæ, aut aliæ Clericalem statum dedecentes levitates admisceantur, multò minus ipsi Clerici choreas ducant & saltent, meminerintque ejus, quod S. Hieronym. de vita Clericorum scripsit: Facile contemnitur Clericus

qui

qui sæpe vocatus ad prandium non recusat, nunquam petentes raro accipiamus rogati.

10. Pastores & Clerici ad signum loco publico præsertim Dominicis aut fori festis diebus non jaculentur, pilâ palmariâ non ludant, aut alio ludo inter vulgus se exercent, recordentur potius finis seu instituti sui, & sciant se non ad ignaviam desidiam aut otium, sed ad salutares Ecclesiasticæ militiæ labores vocatos esse, quapropter tempus quod Officiis divinis obeundis, frequentandis Ecclesiis & corporis necessitatibus non impeditur, vanis & inutilibus miscendis colloquiis & profanis actionibus non terant, sed divinarum literarum studiis & cœlestium rerum contemplationibus, frequentique Concilii Tridentini, Synodaliumque Decretorum lectione ac sanctis piisque Officiis traducant.

11. Cùm Sacerdotum dignitas non parum vilescat, quòd à Nobilibus aliisque Laicis ad servitia secularia se applicari permittant, ideò ipsis sub pœna suspensionis à divinis prohibemus, ne similibus negotiis servilibus vel officiis secularibus vacent, quæ impediunt quo minus Deo militent, cui se milites probarunt & addixerunt.

12. Apostoli sententia est: Nemo militans Deo implicet se negotiis secularibus, ut ei placeat cui se probavit. Quare nullus è Clero ullam mercaturam, negotiationem secularem,

tur.

turpem quæstum, aut indignum statui laborem exercent, neque decimas, census, prædia vel agros alienos ob quæstum colendos conducat & accipiat.

13. Quod si Clerus coram Judice Laico testimonium dicturus sit, vel quocunque Juramentum præstinurus (quod etiam sine nostra vel alterius Ecclesiastici Superioris licentia ei non licet) in manibus Personæ Ecclesiasticæ id ipsum præstet.

14. Et generaliter quæcunque à sacris Canonibus præsertim Concilii Tridentini de vita honestate & modestia Clericorum retinenda & simul de luxu, lusibus & quibuscunque criminibus vitandis sancita sunt, eadem omnia sub iisdem pœnis tanquam hic repetita hæc Synodus servari mandat.

## TITULUS IV.

### *De vitando Concubinato.*

**I**mmundum & damnabilem concubinatum, quo nihil magis ab honestate Clericorum & Ministrorum Christi Virginis filii alienum est, Nos hoc decreto nostro execramur, damnamus & profligamus & ad cautelam pro tollenda omni excusatione omnibus notum hîc facimus, Nos nemini hoc in crimine parcituros; sed posthac simpliciter & de plano ad privationem beneficiorum &

lil

seriam

feriam ac publicam executionem contrà auctores, complices & fœdas amafias ubicunque locorum processuros. Quam rem iterum Vicario nostro in Spiritualibus Generali, & quos ipse pro executione requisierit, serio injungimus. Concil. Tridentinum *Seff. 25. c. 14.* poenas concubinariorum accuratius persequens, ea quæ sequuntur, constituit.

Quàm turpe ac Clericorum nomine, qui se divino cultui addixerunt, sit indignum, in impudicitie sordibus immundoque concubinato versari, satis res ipsa communi fidelium omnium offensione summoque Clericalis militie dedecore testatur, ut igitur ad eam, quam decet continentiam ac vite integritatem ministri Ecclesie revocentur, populusque tunc discat, eos magis revereri, quò illos vite honestiores cognovit, prohibet sancta Synodus quibuscunque Clericis, ne concubinas aut alias mulieres de quibus haberi possit suspicio, in domo vel extrà desinere, aut cum illis ullam consuetudinem habere audeant, alioquin poenis à sacris Canonibus vel Statutis Ecclesiarum impositis puniantur. Quod si à Superioribus moniti ab iis se non abstinerint, tertia parte fructuum, obventionum ac proventuum beneficiorum suorum quorumcunque & pensionum ipso facto sint privati, quæ fabricæ Ecclesie aut alteri pio loco arbitrio Episcopi applicentur. Si verò in delicto eodem cum eadem vel alia femina perseverantes secundæ monitioni adhuc non paruerint, non tantum fruc-

tus

tus omnes ac proventus suorum beneficiorum & pensiones eo ipso amittant, qui prædictis locis applicentur, sed etiam à beneficiorum ipsorum administratione, quoad ordinarius etiam uti Sedis Apostolicæ delegatus arbitrabitur, suspendantur. Et si ita suspensi eas nihilominus non expellant, aut cum eis etiam versentur, tunc beneficiis, portionibus ac officiis & pensionibus quibuscunque Ecclesiasticis perpetuò priventur atque inhabiles & indigni quibuscunque honoribus, dignitatibus beneficiis, ac officiis imposterum reddantur, donec post manifestam vite emendationem ab eorum Superioribus cum iis ex causa visum fuerit dispensandum. Sed si etas semel dimiserint, intermissum consortium repetere, aut alias hujusmodi scandalosas mulieres sibi adjungere ausi fuerint, præter prædictas poenas excommunicationis gladio plectantur. Nec quævis appellatio aut exemptio prædictam executionem impediatur aut suspendatur. Supradictorumque omnium cognitio non ad Archidiaconos nec Decanos aut alios inferiores, sed ad Episcopos ipsos pertineat, qui sine strepitu & figura Judicii & sola facti veritate inspecta procedere possint. Clerici verò beneficia Ecclesiastica aut pensiones non habentes juxtà delicti & contumaciæ perseverantiam & qualitatem ab Episcopo carceris poena, suspensione ab Ordine ac inhabilitate ad beneficia obtinenda aliisque modis juxtà sacros Canones puniantur.

Iii 2

TI.

## TITULUS V.

*De Testamentis & eorum Executione.*

## I.

**E**xperientia docet quàm sit periculosum quantumque detrimenti adferat testamentariam dispositionem ad extremum vitæ terminum differre, quapropter volumus & injungimus omnibus Civitatis & Diocesis nostræ Pastoribus, Vicepastoribus & Concionatoribus ut subinde Auditores suos serio moneant, ut ultimæ voluntatis tabulas maturè condaat atque tempestivè donavi, rebus, & bonis suis temporalibus consulant, ne instante morte ægri & anxii circa mox relinquenda magnis conficiantur molestiis non sine periculo scèpè salutis æternæ amittendæ.

2. Hortentur similiter ut testamentum suum extra gravioris noxæ conscientiam faciant, totamque dispositionem ad bonum finem dirigant, ne vanitate potius memoriæ post mortem relinquendæ vel quovis alio sinistro ducti affectu, quàm Dei & proximorum amore permoti operis boni merito spolientur.

3. Quod si testamenta condere volentes cum aliquo vel aliquibus publicas habeant inimicitias, non solum animis ignosceant, sed in præsentia aliorum, quod ignoverint, testatum faciant & cum odore virtutis decedant. Quod si alios offenderint, expe-

dit

dit ut ad veniam petendam amicos destinent, & pro modo offensæ satisfaciant, reconciliatioque subsequatur. An verò inter præsentés ea sit faciendæ, prudentis judicio æstimandum relinquitur, cum inter præsentés aliquando controversias componi non sit consilium, occultæ inimiciæ secretò quoque dirimantur.

4. Quamvis testatores numerosam habuerint prolem vel consanguineos, meminerint tamen Christum scribere cohæredem, nisi hereditas fortè sit adeo tenuis ut necessariis hæredibus seu liberis ad sustentationem honestam necessaria videatur, & legatis minuenda non judicetur.

5. Si Testatoribus nulli fuerint fratres, sorores, aliive cognati indigentes, liberalioribus legatis ad pias causas animarum suarum salutis optimè consulent, beneficiendo scilicet pupillis, orphanis, viduis, pauperibus, captivis, peregrinis & ægris, præcipuè Ecclesiis earumque ministris penuriâ laborantibus. Insuper laudabile erit debitoribus vix solvendo existentibus integrum debitum vel partem ejusdem remittere.

6. Idcirco quilibet dives Deum timens animæ suæ bene providebit, si aliquam partem substantiæ piis usibus testamento relinquat, imprimis autem ut Parochialem suam Ecclesiam, si egerit, majorum consuetudine & pietate pro ratione fortunarum suarum pio legato honoret.

7.

Pastoratu de consensu nostro pro ratâ temporis proportionabiliter redditibus fruuntur, reliquum successori assignabitur.

17. Quoad agros eorumque culturam ordinamus, ut successor omnes impensos sumptus æstimatione eorundem per impartiales factâ accuratè solvat, quod si renuat aut non possit, Executores Messe fruuntur, successori ratione temporis quo deservivit assignatâ & solutâ parte Canonis, qui præstaretur, si essent elocati agri.

18. Quoad prata, si quæ sint, ordinamus, ut is feeno fruatur, qui à festo Ss. Philippi & Jacobi usque ad finem Julii deservivit, si inter illud tempus quis moriatur, tùm Executoribus, tùm successori pro ratâ feenum cedit.

## TITULUS VI.

### *De Regularibus.*

#### I.

Regulares omnes in Domino hortamur ac monemus, ut secundùm vocationem suam Regulas Sanctorum Patrum dignè ambulent, aliisque lucis exemplum præbeant; decreta item summorum Pontificum, præsertim Bullam GREGORII XV. quæ incipit, Inscrutabili: diligenter observent, benedictionem & approbationem.

bationem. Concionatorum suorum & Confessariorum petant, & sine illa nullum exponant & decretum INNOCENTII X. quoad approbationem in singulis Diocesis necessariam observent.

2. Clausuram Monialium tanquam præcipuum conservandæ integritatis virginalis medium maximopere Concilium Tridentinum ac summi Pontifices ordinariis locorum etiam obtestatione divini Judicii & interminatione maledictionis æternæ commendatam esse volunt. Quocirca salutis nostræ memores cupientesque à Nobis avertere divinæ ultionis vindictam præcipimus in virtute S. obedientiæ, omnibus Sanctimonialium Monasteriorum Superioribus, Commissariis ac Visitatoribus, ut in omnibus Monasteriis sibi subjectis clausuram accuratissimè observari curent, nec ulla monialis sine nostro in scriptis obtento consensu è clausurâ ad visitandos cognatos aliave negotia tractanda egredi præsumat.

3. Omnibus ac singulis Sanctimonialibus juxtâ *Caput. II. Sess. 25. Concil. Trid.* facultatem concedimus, ut annuatim bis vel ter extraordinariis Confessariis veluti nostris Missionariis confiteri valeant, nec ullus Superiorum earundem huic Ordinationi obistere audeat.

Hæc ad brevem Instructionem universi Cleri sufficiant, quæ aliæque in sacris Canonibus sanctisque Scriptoribus latius perlegenda, qui ea servarint, pax super illos.

IN-